

RITUALE SACRAMENTORUM, AC ALIARUM ECCLESIÆ CEREMONIARUM.

PRO ECCLESIIS REGNI POLONIÆ, ET MAGNI DVCATVS LITHVANIÆ.

Acceſſit

LIBELLUS INFIRMORUM, BENEDICTIONUM & EXORCISMORUM.

Cum Privilegio & Permiſſu Superiorum.

Ex Libris Pris Innocentij 1729 Ords S. P. B. Ecclæ Professi Tynecens.

Post autem hic Liber datus Patri Sigismundo Janowski Professo Mnrij Tynecensis

THORUNII,

Ex Officina JOH. CHRIST. LAURERI.

M. DC XCI.



ADMONITIO BREVIS,

QUÆ IN SACRAMENTORUM Administratione generaliter ſervanda ſint.



T ea, quæ de Sacramentorum ritibus ac Ceremoniis hîc præſcribuntur, quâ par eſt diligentia ac religione cuſtodiantur, & ubique fideliter ſerventur: illud ſcire convenit, quòd Sacroſancta Tridentina Synodus decrevit, dicens: Si quis dixerit acceptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit. Quare quilibet, ad quem adminiſtratio Sacramentorum pertinet, meminiſſe imprimis debet ſe ſancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam ſanctæ adminiſtrationis officium paratum eſſe oportere.

Quam-

Quamobrem illud perpetuò curabit, ut integrè, castè, pièque vitam agat.

Quod si fuerit peccati mortalis sibi conscius, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat, & si habeat copiam Confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.

Quácunque diei ac noctis horâ ad Sacramenta ministrando vocabitur, nullam officio suo præstando moram interponat, præsertim si necessitas vrget. Ac propterea populum sæpè præmonebit, ut tempestiuè sibi significetur, de necessitate alicuius Sacramenti administrandi.

Ipse verò, antequam administrationem inchoet paululum orationi, & sacræ rei, quam acturus est, meditationi vacabit.

In omni Sacramentorum administratione superpellico sit indutus, & super stolâ, nisi in Sacramento pœnitentiæ administrando, occasio, aut consvetudo, vel locus aliter interdum svadeat.

Curabit, ut sacra supellex, vestes ornamenta & vasa, integra mundaque sint in Sacramentorum administratione: eorum virtutem, usum, utilitatem, diligenter explicabit, ubi commodè fieri poterit, iis qui ignorabunt.

Adhibebit quoque saltem unum, decenti habitu & superpelliceo indutum, dum Sacramentum administrat. Singula verba, quæ ad illius formam pertinent, attentè, distinctè, & piè, atque clarâ voce pronunciabit: similiter & alias orationes devotè docet, & quidem ex libro.

Intentus ſit ei quem tractat, nec quidquam cum alio colloquatur: actualem attentionem habere ſtudeat, cum intentione faciendi, quod in ea facit Eccleſia.


Illud porrò diligenter caveat, ne in Sacramentorum adminiſtratione aliquid, quavis de cauſa vel occaſione, directè vel indirectè, exigat, aut petat: ſed ea gratis miniſtret. Si quid verò nomine Eleemoſinæ, aut devotionis ſtudio, peracto iam Sacramento, ſponte à fidelibus offeratur, id licitè pro conſuetudine locorum accipere poterit, niſi aliter Epiſcopo videatur.

Fidelibus alienæ Parochiæ Sacramenta non adminiſtrabit, niſi in neceſſitate, & ex licentia Parochi, vel Ordinarii.

Omnes autem, qui Sacramenta ſuſcipiunt, monebit, ut piè ac devotè Sacramentis interſint, & quá par eſt reverentia ſuſcipiant.



DE



DE SACRAMENTO
Baptiſmi ritè adminiſtrando.



Acrum Baptiſma Chriſtianæ Religionis & æternæ vitæ januam cunctis ad ſalutem neceſſarium eſſe, ipſa Veritas teſtatur illis verbis: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei: Itaque ſumma diligentia adhibenda eſt, ad illud oportunè

Opportunè Parochus hortatur, ut natos infantes baptizandos, quam primum fieri poterit, ad Eccleſiam deferant ij, ad quos ea cura pertinet.

Parochus exquirat diligenter, quem vel quos Patrinos elegerit, qui infantem de ſacro fonte ſuſcipiant, & non plures quàm duo, vir & mulier, vel unus admittatur ad ſummum, eoſque in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis conſignatos eſſe maximè convenit. Ad hoc munus non ſunt admittendi infideles, hæretici, excommunicati publicè, aut interdicti, publicè criminoſi, aut infames, inſani, & qui ignorant rudimenta fidei, neque Religioſi, vel Moniales.

Ac licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius locus est Ecclesia, nisi sint Regum aut Magnorum Principum Filij.

Baptisterium sit decenti loco, decenter ornatum, & cancellis circumspectum, sera & clave munitum, in eoque, si commodè fieri potest, depingatur imago Sancti JOANNIS CHRISTUM baptizantis.

Sacrum Chrisma & sanctum Oleum eodem anno sint ab Episcopo benedicta, veteribus in Ecclesia combustis.

Hæc vascula, ubi hæc servantur, in loco proprio, honesto, ac mundo sub clave asserventur decenter, & curet, ne per laicos hæc Olea deferantur, & ne quid ex ijs effundatur. Sal sit benedictum peculiari benedictione, quod in os baptizandi immitendum est, nemini tradatur.

Vasculum seu cochlear ex argento, vel metallo alio, nitidum sit, ad aquam Baptismi fundendam supra caput baptizandi, quod nulli alio usui deserviat.

Stolæ duæ, una violacea, & altera alba, ut infra notatur, munda, seu minus una adhibeatur.

Medulla panis, quâ digiti Sacerdotis, cùm manus lavat, abstergantur, & vas pro manuum lotione post

Ba-

Baptiſmum, quod huic tantùm uſui deſervire decet.

Hic denique liber ſit Baptiſmalis, in quo Baptizati deſcribuntur.

Omnibus igitur præparatis, Sacerdos ad tanti Sacramenti adminiſtrationem, lotis manibus, ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus accedat ad limen Eccleſiæ, ubi foris expectant, qui infantem detulerunt, & ibi interroget, (niſi de his benè ſibi conſtet,) an ſit ſuæ Parochiæ, maſculus an fæmina, an non jam ſit baptizatus, qui ſint compatres, quos, ut piè ac decenter aſſiſtant, & pro baptizando ad interrogationes reſpondeant, admonet.

Et quoniam baptizandis, tanquam filijs Dei in Chriſto regenerandis, Nomen imponitur, curet, ut Sanctorum nomina ijs imponantur, quorum exemplis fideles ad piè vivendum excitentur, & patrocinijs protegantur.

His igitur expeditis, & accepto nomine baptizandi (ſi infans fuerit, poſiti ſuper brachium dexterum illius, qui eum defert,) Parochus ad baptiſmum procedat, in hunc modum nominatim interrogans, ut eſt fol. 5.

BENEDICTIO SALIS AD USUM BAPTISMI.

Qui ſemel benedictus, in poſterum ad eundem uſum deſervire poteſt.

Exorcizo te creatura Salis, in Nomine Dei Patris Omnipotentis, † & in charitate, Domini noſtri Jesu Chriſti, † & in virtute Spiritus Sancti, † Exorcizo te per Deum vivum, † per Deum verum, † per Deum Sanctum, † per Deum, † qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad crudelitatem, per ſervos ſuos conſervari præcepit. In nomine SS. Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentũ, ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noſter, ut hanc creaturam Salis ſanctificando ſanctifices, † & benedicendo benedicas, † & ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum. In Nomine ejuſdem Domini noſtri Jesu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

BENEDICTIO AQUÆ Pro baptiſmo, quando in neceſſitate ex Fonte Sacro haberi non poteſt.

Exor-

EXaudi nos Omnipotens Deus, & in hujus Aquæ ſubſtantiam tuam miſce virtutem: ut abluendus per eam & ſanitatem ſimul & vitam mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

EXorcizo te creatura Aquæ, in Nomine Dei Pa- † tris Omnipotentis, & in charitate Jesu † Chriſti Filij ejus, & Spiritus † Sancti. Exorcizo te omnis virtus adverſarij, omnis incurſio Satanæ, & omne phantaſma, eradicare & effugare ab hac creatura Aquæ, ut fiat fons ſaliens in vitam æternam & qui ex ea baptizatus fuerit, fiat Templum DEI vivi, & Spiritus Sanctus habitet in eo, in remiſſionem omnium peccatorum.

Poſtea pone Chriſma & Oleum Catech. in aquam, & dicas:

Fœcundetur & ſanctificetur iſte fons Oleo ſalutis, & ſalutifero Chriſmate. In Nomine Pa † tris & Fi † lij, & Spiritus † Sancti, Amen.

ORDO BAPTISMI PARVULORUM.

Sacerdos interrogat:

N. Quid petis ab Eccleſia DEI?

Polonicè.

Czego żądasz od Kościołá Bożego?

Lithuanicè.

Kogiedy nu og Báżnicios Dieuo?

Germanicè.

Was begehrestu von der H. Kirchen?

Respondet Patrinus.

Fidem.

Polonicè. Wiáry.

Lithvan. Tikie mo.

German. Glauben.

Sacerdos.

Fides quid tibi præstat?

Polonicè Wiárá coć dawa?

Lithuan. Tikieimás ku tau duost?

German. Was gibt dir der Glaub?

Respondet Patrinus.

Vitam æternam.

Polonicè. Żywot wieczny.

Lithuan. Giwiánimu amzynu.

German. Das ewige Leben.

Sacerdos.

SI vis ad vitam ingredi, serva mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum.

Polonicè.

JEśli chceß do żywotá wniść / chowáy Przykazánia: Bedźieß miłowáł Páná Bogá twego / ze wßytkiego sercá twego / y ze wßytkiey duße twoiey / y ze wßytkiey myśli twoiey / á bliźniego swego / iáko śiebie sámego.

Lithuanicè.

Jey nori giwwianiman ineit / laikik prysákimus: Milesi Wießpatu Diewu táwu / yz wisos śirdes táwo / iz wisos dusios táwo / ir iz wisos dumos táwo / e ártimu táwo / káip páts sáwi.

Germanicè.

Wilstu in das Leben eingehen / so halt die Gebot: Du solst Gott lieben von gantzen deinem Hertzen / von gantzer deiner Seelen / von gantzen deinem gemuth / und deinen Nechsten als dich selbst.

Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, & dicat semel:

Exi ab eo (*vel ab ea*) immunde spiritus, & da locum Spiritui Sancto Paracleto.

Postea pollice Signum Crucis in fronte & in pectore infantis faciat, & dicens:

Accipe signum Crucis tam in fronte † quàm in corde, † sume fidem cœlestium Præceptorũ, & talis esto moribus, ut templum DEI jam esse possis.

ORE-

OREMUS.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, & hunc electum tuum N. Crucis Dominicæ impreſſione ſignatum perpetua virtute cuſtodi, ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c. ℟. Amen.

Deinde imponat manum ſuper caput infantis, ac dicat:

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne DEUS, Pater Domini noſtri Jesu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle; diſrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus: Aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut igne ſapientiæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſvavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde immittat modicum ſalis benedicti in os infantis dicens:

N. Ac-

N. Accipe ſalem ſapientiæ: propitiatio ſit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

S. Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS Patrum noſtrorum, DEUS univerſæ Conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſpiritus fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens. Perduc eum Domine, quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum, &c. ℟. Amen.

Exorcizo te immunde ſpiritus, in nomine Patris † & Filij, † & Spiritus † Sancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo tuo Dei N. ipſe enim tibi imperat maledicte, damnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Ergò maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam & da honorem Deo vivo, & vero, da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus &

us & Dominus noſter Jesus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptiſmatis vocare dignatus eſt.

Hîc pollice in fronte ſignat infantem, dicens:

Et hoc ſignum Sanctæ Crucis, † quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Mox imponat manum ſuper caput infanits, & dicat:

OREMUS.

ÆTernam ac juſtiſſimam pietatem deprecor Domine Sancte Pater Omnipotens, æterne Deus, auctor luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum, & ſanctifica: da ei ſcientiam veram, ut dignus gratia Baptiſmi tui effectus, teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam. Per Chriſtum Dominum noſtrum ℞. Amen.

Poſtea Sacerdos imponit extremam partem ſtolæ ſuper infantem, & introducit eum in Eccleſiam, dicens:

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum CHRISTO in vita æternam. ℞. Amen.

Cùm

Cùm fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus conjunctim, clara voce dicit:

Credo in Deum, (*integrum*) & Pater noster.

Ac deindè, antequam accedat ad Baptisterium.

EXORCISMUS.

EXorcizo te omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris Omnipotentis, † & in nomine Jesu Christi Filij ejus, Domini & Judicis nostri, † & in virtute Spiritus Sancti, † ut discedas ab hoc Psalmate Dei N. quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum DEI vivi, & Spiritus Sanctus habitet in eo. Per eundem Christum Dominum nostrum, qvi venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, & tangat aures & nares infantis, tangendo verò aurem dexteram & sinistram, dicat:

Ephpheta, quod est Adaperire.

Deinde tangat nares dicens:

In odorem svavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinqvabit enim judicium Dei.

Postea interrogat Baptizandum nominatim dicens:

N. Ab-

N. Abrenuntias Satanæ? ℞. Abrenuntio.
Odrzekaß śie Ducha złego? ℞. Odrzekam.
Atſiżadi Welino? ℞. Atſiżadu.
Widerſageſtu dem Taeffel? ℞. Ich widerſage.

Sacerdos rurſus interroget.

Et omnibus operibus ejus? ℞. Abrenuntio.
Y wßytkich ſpraw iego? ℞. Odrzekam.
Jr wiſſu darbu jo? ℞. Atſiżadu.
Vnd allen ſeinen Wercken? ℞. Ich widerſage.

Sacerdos.

Et omnibus pompis ejus? ℞. Abrenuntio.
Y wßelkiey pychy iego? ℞. Odrzekam.
Jr wiſſos puykibes jo? ℞. Atſiżadu.
Vnd aller ſeiner Hoffart? ℞. Ich wider ſage.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in Oleo Catechumenorum, & infantem ungit in pectore, & inter ſcapulas in domum Crucis, dicens:

Ego te lineo ✝ Oleo ſalutis in Chriſto Jesu Domino noſtro, ut habeas vitam æternam. ℞. Amen.

Hic deponit ſtolam violaceam, & aſſumit albam albi coloris.

Subinde pollicem & inuncta loca abſtergit bombatio vel re ſimili, & interrogat expreſſo nomine Baptizandum, Patrino reſpondente.

N. Credis in DEUM Patrem Omnipoten-

tentem, Creatorem cœli & terræ? Resp. Credo.

Wierzyß w Bogá Oycá Wßechmogácego/ Stworzyćielá nieba y ziemie? ℟. Wierze.

Tiki ing Diewu tewu wisagalinti / daritoi dun gaus ir ziames? ℟. Tikiu.

Glaubstu an Gott den Vater Allmächtigen/ Schöpffer Himmels und der Erden? ℟. Ich glaub.

Sacerdos.

Credis in JESUM CHRISTUM Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, & passum? Resp. Credo.

Wierzyß w Jezusá Chrystusá Syná jego jedynego/ Páná náßego/ národzonego/ y umęczonego? ℟. Wierze.

Tiki ing Jezu Chrystu Suno io wieniákii/ wießpáti musu / gimusi / ir numuczycu? ℟. Tikiu.

Glaubstu an JEsum Christum seinen einigen Sohn/ unsern HErrn/ der gebohren/ gelitten? ℟. Ich glaub.

Sacerdos.

Credis in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, vitam æternam? Resp. Credo.

Wierzyß Duchá świętego/ święty Kośćiół powßechny / świętych obcowánie/ Grzechow

 odpu-

odpuſzczenie/ Ciáłá zmartwychwſtánie/ żywot wieczny? ℟. Wierze.

Tiki ing Dwaſiu ſwintu/ ſwintuju Bażnićiu wiſureſunćiu/ ſwintuju draugiſti/ nuſideymu atláydimu/ kuno iż numiruſiu/ kieliimu ir amżinu giwiánimu? ℟. Tikiu.

Glaubſtu an den Heiligen Geiſt/ eine heilige Allgemeine Chriſtliche Kirche/ die Gemeinſchafft der Heiligen/ Vergebung der Sunden/ Aufferſtehung des Fleiſches/ und ein ewiges Leben? ℟. Ja.

Subinde expreſſo nomine Baptizandi, Sacerdos dicit.

N. Vis Baptizari?	Reſp.	Volo.
Chceſz bydz ochrzczonym?	℟.	Chce.
Nori abſikrikſtitis?	℟.	Noriu.
Wilſtu getaufft werden?	℟.	Ja ich wil.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroq; (ſi ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos faſculo ſeu urceolo accipit aquam baptiſmalem, & de ea ter fundit ſuper caput infantis in modum Crucis, & ſimul verba proferens, ſemel tantùm diſtinctè & attentè dicit.

N. Ego te Baptizo, in nomine Patris, ✠ *fundat primò*, & Filii, ✠ *fundat ſecundò*, & Spiritus ✠ Sancti, *fundat tertiò.*

Mox Patrinus, vel Matrina, vel uterq; ſimul, infantem de ſacro fonte elevans ſuſcipientes illum de manu Sacerdotis. Si verò dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma.

N. Si

N. Si non est Baptizatus, ego te Baptizo: In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ S.

Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, & ungit infantem in sumitate capitis, in modum Crucis, dicens.

DEVS Omnipotens, Pater Domini nostri JESU CHRISTI, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum (*Hic ungit*) ipse te lineat Chrismate salutis ✠ in eodem Christo JESU Domino nostro in vitam æternam. Resp. Amen.

Sacerdos.

Pax tibi. Resp. Et cum Spiritu tuo.

Tum bombacio aut re simili abstergit pollicem suum & locum inunctum, & imponit capiti ejus linteolum candidum, loco vestis albæ, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal Domini nostri JESU CHRISTI, ut habeas vitam æternam. Resp. Amen.

Postea dat ei, vel Patrino candelam accensam, dicens:

Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva DEI mandata, ut cum venerit Dominus ad nuptias, possis obcurrere ei unà cum omnibus Sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam

æternam, & vivas in sæcula sæculorum.
Resp. Amen.
Postremò dicat:
N. Vade in pace, & Dominus sit tecum.
Resp. Amen.
Si verò fuerint plures Baptisandi, sive masculi, sive fæminæ, in Catechismo masculi statuantur ad dexteram, fæminæ verò ad sinistram, & omnia pariter dicantur, ut suprà in proprio genere & numero plurali. Verùm prima nominis interrogatio, exsufflatio, Crucis impressio, seu signatio tactus aurium & narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, uncti Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide seu Symboli, & ipse Baptismus, inunctio Chrismatis, candidæ vestis impositio, atq; accensæ candelæ traditio, singulariter singulis, & primum masculis, deinde fæminis fieri debent.
Si infans ægrotus adeò graviter laboret, ut periculum immineat, ne pareat, antequam Baptismus perficiatur; Sacerdos omissis, quæ Baptismum præcedunt, eum Baptiset, ter vel etiam semel infundens aquam super caput ejus, in modum Crucis, dicens:
Ego te Baptizo, &c.
Si non habeatur aqua Baptismalis, & periculum immineat, Sacerdos utatur aqua simplici.
Deinde si habet Chrisma, lineat eum in vertice, dicens;
DEUS Omnipotens, Pater Domini nostri, &c. Pag. 15.
Postea dat ei linteolum, dicens:
Accipe vestem, &c. Pag. 15.

Ac demum dat ei ceream Candelam accensam, dicens:

Accipe lampadem ardentem, &c. Pag. 15.

Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.

Admonendi sunt susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum Baptizato, Baptizatiq; Patre & Matre, quæ cognatione impedit Matrimonium, ac dirimit.

Curet Parochus Parentes admoneri, ne in lecto secum ipsi vel nutrices parvulum habeant, propter oppreßionis periculum, sed eum diligenter custodiant, & opportunè ad Christianam disciplinam instituant.

Commonendi sunt etiam Parentes & alii si opus fuerit, ne filios Hebræis aliisve infidelibus, vel hæreticis mulieribus, ullo modo lactandos aut nutriendos tradant.

Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut susceptores discedant, eorum nomina, & alia de administrato Sacramento, ad præscriptam formam (quæ est infra fol. 142.) in Baptismali libro Parochus accuratè describat.

Adultorum Baptismus, ubi commodè fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si placuerit, ab eo solenniùs conferatur, alioquin Parochus ipse Baptiset, stata cæremonia, quæ hîc non ponitur, quia rarò contingit: & potest haberi maior agenda, de qua Baptismum adultorum expediet.

Ordo supplendi omissa super Baptizatum.

Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente neceßitate, sive parvulus, sive adultus sacris precibus ac cæremoniis prætermissis, fuerit Baptizatus, ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, & ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa suppleantur, idemq; ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum sive adultorum præscriptus est, excepto quod

interrogatio, an velit baptizari, formaq; Baptismi, & ablutio prætermittantur, quædam Orationes, & Exorcismi suo quiq; loco immutati, infra dicuntur.

Sacerdos igitur, antequam immittat salem in os Baptizati, manum super caput ejus imponens, dicit.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEUS, Pater Domini Nostri JESU CHRISTI, respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem ad Rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cœcitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus: Aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat, de die in diem, ut idoneus sit frugi gratia Baptismi tui, quem suscepit, salis percepta medicina. Per eundem Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Deinde postcaquam modicum salis immisit in os Baptizati, dicet:

Accipe salem sapientiæ: Propitiatio sit tibi in vitam æternam. Resp. Amen.

OREMUS.

DEus Patrum nostrorum, Deus universæ con-

Conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum N reſpicere digneris propitius, ut hoc pabulum Salis guſtantem non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper Nomini ſerviens, & quem ad novæ regenerationis lavacrum perduxiſti, quæſumus Domine, ut cum fidelibus tuis promiſſionum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Poſthæc facto ſigno Crucis in fronte Baptizati, dictisq; illis verbis:

Et hoc ſignum Sanctæ Crucis ✠ quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Manu ſuper caput ejus impoſita, dicet:

OREMUS.

ÆTernam ac juſtiſſimam pietatem deprecor Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne DEUS, auctor luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum, & ſanctifica: da ei ſcientiam veram, ut dignus ſit frui gratia Baptiſmi tui quem ſuſcepit, teneat firmam ſpem, conſilium re-

ctum, doctrinam sanctam ut aptus sit ad retinendam gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTVM POENITENTIÆ.

SAcerdos ad audiendam Confessionem vocatus, promptum facilemq; se præbeat, ac priusquam ad audiendum accedat si tempus suppetet, ad hoc ministerium rectè sanctèq; obeundum, Divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Ecclesia, non autem in privatis ædibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cùm intervenerit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare.

Habeat in Ecclesia sedem Confessionalem, quæ patenti loco posita, crate perforata inter pœnitentem & Sacerdotem sit instructa.

Superpellicio & stolâ violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo.

Pœnitens, si opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis & habitus, accedat flexis genibus, signo Crucis se muniat. Tum pœnitens Confessionem Generalem dicit. Confiteor, &c. Vel saltem utatur his verbis: Confiteor Deo omnipotenti, & tibi Pater.

Mox Confessarius inquirat de statu illius, quàm pridem sit confessus, an pœnitentiam impositam adimpleverit, num ritè aliis confessus fuerit, num conscientiam suam ut debet prius diligenter discusserit.

Si verò Confessarius cognoverit, pœnitentem ignorare Christianæ Fidei rudimenta: si tempus suppetat, eum brevi-

ter

ter instruat de articulis Fidei, & aliis ad salutem cognitis necessariis, illumque admoneat; ut ea postea addiscat diligentiùs.

Si pœnitens numerum & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Pœnitentem Sacerdos in confessione, quotiescunq; opus fuerit, adjuvabit, nec reprehendet eum, nisi finitâ confessione: neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere, proinde ei fiduciam præbeat, humaniter suggerat, ut omnia peccata ritè & integrè confiteatur, & caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quenquam detineat, præsertim juniores utriusque sexus, vel alios de eo, quod ignorant imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccata addiscant.

Demum auditâ Confessione, perpendens peccatorum, quæ ille admisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, adhibebit: & ad dolorem & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atq; ad vitam emendendam inducet, remediaq; peccatorum tradet, postremò salutarem & convenientem satisfactionem injungat, habitâ ratione status, conditionis, sexus, ætatis, & item dispositionis pœnitentiam. Id verò ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantùm ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum castigationem.

Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent, neq; à pœnitentibus quicquam tanquam ministeris sui præmium petant vel accipiant. pro peccatis occultis. quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non imponant.

Videat diligenter Sacerdos. quando, & quibus conferen-

da, vel negenda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt restituere, aut proximam occasionem peccandi deserere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, qui scandalum publicum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant, neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata.

Forma absolutionis.

Cùm igitur pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius & ab eo acceptata salutari pœnitentia; primò dicit:

Misereatur tui Omnipotens DEUS, & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Resp. Amen.

Deinde dextera versus pœnitentem elevata, dicit:

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum, tribuat tibi Omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius de absolvo, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. *Deinde:*

Ego te absolvo à peccatis tuis, in Nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Si pœnitens sit laicus, omittitur Verbum Suspensionis.

Passio

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum augmentem gratiæ, præmium vitæ æternæ.

In Confessionibus autem frequentioribus & brevioribus, omitti potest.

Misereatur, *satis est dicere* Dominus noster JESUS CHRISTUS, &c. *ut supra usque ad illud* Passio Domini, &c.

Urgente verò aliqua gravi necessitate, periculo mortis, breviter dicere poterit.

Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis: In Nomine Patris, &c.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Parochus admonitus de aliquo matrimonio in sua Parochia contrahendo, primùm cognoscat ex his, ad quos spectant, qui & quales sint, qui matrimonium contrahere volunt: an inter eos sit aliquod Canonicum impedimentum, utrum spontè, liberè, & secundùm honestatem Sacramenti velint contrahere, utrum sint in ætate legitima, ut vir saltem quatuordecim, mulier verò duodecim annos expleverint, & uterq; sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.

Antequam matrimonium contrahatur, ter populo à Parocho continuis diebus festis in Ecclesia, intra Missarum solennia, ad ipsius Concilii præscriptum, publicè denunciatur, inter quos matrimonium si contrahendum.

Si verò

Si verò vir & mulier Parochiæ sint diversæ, in utraq; Parochia fiant denuntiationes: quibus denuntiationibus factis, si nullum impedimentum legitimum apponatur, ad celebrationem matrimonii procedatur, sed si quid obstat, ultra Parochus non procedat.

Admoneantur Conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimam Eucharistiam, atq; ad matrimonii Sacramentum suscipiendum piè accedant. Et quomodo in eo rectè & Christianè conversari debeant, diligenter instruantur ex Divina Scriptura, exemplo Tobiæ & Saræ, verbisq; Angeli Raphaelis eos docentis, quàm sanctè Conjuges debeant convenire.

RITVS CELEBRANDI MATRIMONIVM.

PArochus igitur Matrimonium celebraturus superpelliceo & stola in Ecclesia alba indutus, adhibito uno saltem Clerico, superpelliceo pariter induto, qui librum & vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus; virum & mulierem, quos Parentum vel propinquorum suorum Præsentiâ honestari decet, moneat de dignitate ac fructu hujus Sacramenti, ac de officiis Conjugum, idq; breviter, & cum facilitate sermonis, ad ædificationem audientium.

Statuat Sponsum ad dextram suam, Sponsam ad sinistram, ut è regione se aspiciant invicem, & quærat de nomine Sponsi & Sponsæ, hoc modo, prius versiculo præmisso.

Vers.

Vers. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
Resp. *Qui fecit cælum & terram.*

Polonicè.

N. Masz dobra á nie przymuszona wola/ y postánowiony umysł/ te N. ktora tu przed soba widziß/ zá Małżonkę sobie poiac? ℟. Mam.
N. Nie ślubowałeś ktorey inßey/ wiáry Małżenskiey? ℟. Nie ślubował.

Lithuanicè.

N. Ar turigieru/ o nepriwerstu noru/ tu N. kuriu cia cies tawim stowinciu regi/ ážu moteri sau páim? ℟. Turiu.
N. Bu ne zadeiey kuriey kitay paimpt jos ážu moteri? ℟. Ne žádeiáu.

Germanicè.

N. Ist es nun dein freyer/ ungedrungener/ oder ungenötigter Wille/ und deine wolbedachte Meinung/ diese N. hie gegenwertige/ für dein Ehelichs Weib anzunehmen? ℟. Ja.
N. Hastu auch einer andern deine Eheliche Treu zugesagt? ℟. Nein.

Deinde similiter interroget Sponsum.

Polonicè.

Tákże y ty N. Masz też dobrá á nieprzymußona wola/ tego M. ktorego tu przed soba widziß zá Małżonká sobie pojać? ℟ Mam.
N Nie ślubowáłaś komu inßemu wiáry Małżeńskiey? ℟. Nie ślubowałá.

Lithua-

Lithuanicè.

Teypog ir tu N. Ae turi geru ir ne priwerſtu noru / ſitu N. kuri regi ties tawimi ſtowinti / azu wiru paimt? ℞. Turiu.
N. Bu ne zadeiey kuriam kitam / but iam moterimi? ℞. Ne zadeiau.

Germanicè.

N. Iſt es auch dein ungedrungner oder ungenöhtigter Wille / und deine wolbedachte Meinunge / dieſen N. hier gegenwertig für deinen Ehelichen Mann anzunehmen? ℞. Ja.
N. Haſtu auch einem andern deine Eheliche Treu zugeſagt? ℞ Nein.

Utroq; illud affirmante: hoc verò negante, dicat Sacerdos:

Augeat in vobis DEUS gratiam ſuam, & quid dicitis ore, opere impleatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Accipiat annulos Sponſorum, vel ſerta, in defectu, & tenendo ea ſimul, benedicat ſic:

OREMUS.

CReator & conſervator generis humani, dator gratiæ Spiritualis, conditor æternæ ſalutis; quæſumus benedicere ✠ digneris hos annulos, (*vel hæc ſerta,*) quos (*vel quæ*) nos in nomine tuo ſancto benedicimus, ut qui eos (*ea*) portaverint, in tua pace conſi-

ſtant,

ſtant, in tua voluntate permaneant, & in tuo amore vivant, creſcant, & ſeneſcant, atque multiplicentur in longitudinem dierum. Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM Filium tuum, &c. Reſp. Amen.

Annulum Sponſæ imponat in digitum penultimum dextrum Sponſi, & è converſo, vel ſerta ſuper capita ipſorum, dicendo ſingulatim utrique.

Accipe annulum (*ſertum*) fidei Matrimonialis, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, ut illum (*illud*) portans, armeris virtute cœleſtis defenſionis, & proficiat tibi ad ſalutem æternam.

Jubeat Sacerdos jungere dextras, quas Sacerdos extremitate ſtolæ obvolvat, & verba ſequentia jubeat ſingulos eorum poſt ſe integrè dicere.

Polonicè.

Ja N. biorę ſobie ćiebie N. zá Małżonkę/ y ślubuję ći miłość/ wiárę/ y uczćiwość Małżeńſką: á iż ćię nie opuſzczę áż do śmierći. Ták mi pomoż Pánie Boże wſzechmogący/ w Troycy jedyny/ y wſzyſcy Swięći.

Similiter jubeat dicere Sponſam.

Ja N. biorę ſobie ćiebie N. zá Małżonká/ y ślubuję ći miłość/ wiárę/ uczćiwość/ y poſłuſzeńſtwo Małżeńſkie: á iż ćię nie opuſzczę/ áż do śmierći. Ták mi pomoż Pánie Boże wſzechmogący/ w Troycy jedyny/ y wſzyſcy Swięći.

Lithua-

Lithuanicè.

Aß N. imu ſaw tawi N azu moteri / ir žadu / tawi mileti / wiernay ir wiezliway ſu tawimi giwenti / ir iog tawis neapleyſiu iki śmierti. Teyp man padek Diewe / ir wiſi ßwintu.

Sponſa è converſo ſic reſpondet.

Iß N. imu ſaw / taw N. azu wiru / ir žadu tawi milety / wiernay ir wiez'iway ſu táwimi giwenti / tawis wel klawſyr / ir tawis noplaiſty iki śmierti. Teyp man pádeki Diewe / ir wiſoi ßwyntieji.

Germanicè.

Ich N. nehme dich N. mir zum Ehelichen Weibe / und gelobe dir Lieb / Treu und Ehre / dich auch nicht zu verláſſen / biß daß uns der Todt ſcheidet / ſo wahr als mir GOTT helffe / und alle ſeine liebe Heiligen.

Deinde Sponſa dicat:

Ich N. nehme dich N. mir zum Ehelichen Manne / und gelobe dir Lieb / Treu / Ehre / und gebührlichen Gehorſam / dich auch nicht zu verlaſſen / biß daß uns der Todt ſcheidet / ſo wahr als mir GOTT helffe / und alle ſeine liebe Heiligen.

Alloquatur aſtantes Sacerdos ſic, vel ſimiliter:

Was ktorzyśćie tu obecni / bioręc ſobie ná świádectwo

dectwo / jeśliby tego kiedy byłá potrzebá / áby-
ście świádczyli o mnieyszym Małżeństwie/mie-
dzy osobámi tymi przystoynie záwartym / y od
Kościołá potwierdzonym.

Juz / kurie tay girdite / bukite Swiedkays/
kád to reykalás bus/ iog tuodu/ iz giero ir luoso
noro ir priderunciey / pagal Budo Bażnicies /
moteristen instoio

Diß werdet ihr lieben Herren und Frauen
bezeugen / wo es vonnöhten thun würde / vor
GOtt und der Welt. Vnd ich als ein unwür-
diger Diener GOttes / geb euch zwo Personen
Ehelichen zusammen.

Postea Sacerdos Matrimonium confirmando, & insuper, si sunt bigami, & in prioribus nuptiis benedictionem acceperunt, dicat:

Quos ergo Deus coniunxit, homo non se-
paret: Et ideò Matrimonium inter vos con-
tractum, ego auctoritate Ecclesiæ Catholicæ
confirmo, ratifico: In Nomine Pa✠tris, &
Fi✠lii, & Spi✠ritus Sancti, Amen.

Si autem uterque, vel sola Sponsa, in prioribus nuptiis non erat benedicta, dicat sic:

Quos ergo Deus coniunxit, homo non se-
paret: Et ideò Matrimonium inter vos con-
tractum, ego auctoritate Ecclesiæ Catholicæ
confirmo, & benedico: In Nomine Pa✠tris,
& Fi✠lii, & Spi✠ritus Sancti, Amen.

Jubeat Desponsatos ad Altare conversos genua flectere, dicendo super illos:

OREMUS.

PRopitiare, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: ut quod te auctore coniunctum est, te auxiliante servetur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Et benedictio Dei Omnipotentis Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super vos, & maneat semper, Amen.

Caveat Parochus, ut quando Conjuges in primis Nuptiis Benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive Mulier, sive etiam Vir ad secundas Nuptias transeat. Sed ubi ea viget consvetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiam si vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea servanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit.

Benedictio Nuptiarum Canonicè fit in Missa de Sponso & Sponsa, ritu in Missali Romano descripto.

Quodsi talis Missa non præcessit, & suscipientes affectant talem Benedictionem, perficiat illam Sacerdos hoc modo:

Absolu-

Absoluta præterita Oratione.

Propitiare quæsumus, &c. usque ad initium, & benedictio DEI, &c.

Dicat Psalmum 127.

BEati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Labores manuum tuarum, quia manducabis: Beatus es, & benè tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Gloria Patri, & Filio, &c.

Deinde versum.

Vers. *Salvos fac servum, & ancillam tuam.*
Resp. *Deus meus sperantes in te.*

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui primos Parentes nostros bona societate copulasti, benedic, & sanctifica istos tui Sacramenti fœdere desponsatos, & semina in eis semen vitæ æternæ: corda eorum tui Sancti Spiritus munda infusione, & sinceri amoris copules nexu perpetuo. Angelo pacis comitante, eos à mortifera Dæmonum infestatione custodias: & omnes mentis & corpo-

ris adverſitates ab eis repellas: ut munimine tuo protecti, & de donante, devotè laudent Nomen ſanctum tuum, quod eſt benedictum in ſæcula ſæculorum. Amen.

OREMUS.

DEVS Abraham, DEVS Iſaac, & DEVS Jacob, ſit vobiſcum, & ipſe adimpleat benedictionem ſuam in vobis: ut videatis filios filiorum veſtrorum, uſque in tertiam & quartam generationem, & poſtea vitam æternam habeatis, ſine fine in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Demum concludat ut ſupra.

Et Benedictio DEI Omnipotentis, &c.

Nomina Sponſorum, Teſtium, Annus, & Dies notentur.

Forma ſcribendi Conjugatos in Libro.

Anno Die Menſe Denuntiationibus præmiſſis tribus continuis diebus Feſtivis, quarum prima die ſecunda die tertia die inter Miſſæ Parochialis ſolemnia, habita eſt, nulloq; legitimo impedimento detecto. Ego N. Rector hujus Eccleſiæ Parochialis N. Civitatis, vel loci N. filium N. Parochiæ S. N. & N. fili-

N. filiam N. seu relictam N. (*si vidua fuerit*) hujus, seu Parochiæ S. N. Ecclesia N. interrogavi, eorumq; mutuo consensu habito, solemniter per verba de præsenti Matrimonio coniunxi, præsentibus testibus notis N. filio N. qui habitat in Parochia S. N. & filio N &c. & N. &c. N. &c. Postea eis ex ritu sanctæ Matris Ecclesiæ (*si tamen nuptias benedixerit*) in Missæ celebratione benedixi.

FORMA

Denuntiationis faciendi in Templo.

Inter Missarum solemnia Parochus populum commoneat ter, diversis continuis tribus diebus festivis, in hanc sententiam vulgari formine.

Notum sit omnibus hìc præsentibus, quòd N vir, & N. mulier, ex tali vel tali familia, & Parochia, Deo adivuante, indentunt inter se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes & singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quam primùm nobis denuntiare debeat, vel secundò, *si fuerit secunda*, vel tertiò, *si fuerit tertia denuntiatio.*

MODVS INTRODVCENDI MVLIEREM in Ecclesiam post Nuptias.

Sacerdos superpelliceo & stolâ indutus, in Ecclesia ante Altare Muliere constituta, dicat.

Vers. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
Resp. *Qui fecit cælum & terram.*

Psalmus 66.

DEUS misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Ut cognoscamus in terram viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, &c.

Dein-

Deinde dicit Psalmum 127. ut suprà p. 31.

Beati omnes qui timent Dominum, &c.

Deinde jubeat fœminam cum sociis genuflectere, & ipse stans, dicat:

Kyrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson. Pater noster, &c.

Vers. *Et ne nos inducas in tentationem,*
Resp. *Sed libera nos à malo.*
Vers. *Salvam fac ancillam tuam.*
Resp. *Deus meus sperantem in te.*
Vers. *Nihil proficiat inimicus in ea.*
Resp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
Vers. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*
Resp. *A facie inimici.*
Versp. *Domine exaudi orationem meam.*
Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

PRætende Domine famulæ tuæ dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, consequi mereatur. Per Dominum nostrum, &c.

Tunc Sacerdos data in dextram ejus extremitate Stolæ, ducens eam in Ecclesiam, dicat:

Ingredere in domum Dei, & adora Filium Virginis, qui tibi fœcunditatem prolis tribuere

buere dignetur, ipſum, inquam Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, mediatorem Dei & hominum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, in ſæcula ſæculorum, Amen.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne DEVS, Creator cœli & terræ, qui omnia de nihilo creaſti, quiq; Adam protoplaſtum de limo terræ formaſti, & Evam illi in adjutorium dediſti, eosque benedixiſti, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Ne reſpicias ad peccata noſtra, ſed ad finem Eccleſiæ tuæ. Et bene✠dicere digneris hanc famulam tuam, una cum Marito ſuo, & da ei fœcunditatem ſobolis, atque de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam. Benedic eis tam in domibus, quàm in agris, & ubique, in jumentis & pecoribus, omniumque poſſeſſioni & re familiari Et tandem omni pietate, caſtitate, & morum honeſtate ordinatos, in timore tuo, perduc eos ad vitam æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Et benedictio DEI Omnipotentis Pa✠tris, & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Reſp. Amen.

Hîc

Hîc aſpergens illam aquâ benedictâ, dicat:

Per hujus aquæ aſperſionem det tibi Dominus gratiam, & benedictionem.

DE BENEDICTIONE MVLIERIS POST PARTVM

Sacerdos ſuperpelliceo & ſtolâ albâ indutus cum miniſtro aſpergilium deferente, ad fores Eccleſiæ accedat ubi illam genuflectentem, & candelam accenſam in manu tenentem, aquâ benedictâ aſpergat, deinde dicat:

Verſ. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*
Reſp. *Qui fecit cælum & terram.*

Antiphona.

Hæc accipiet benedictionem à Domino.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra & plenitudo ejus: orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo. Quia ipſe ſuper maria fundavit eum, & ſuper flumina præparavit eum. Quis aſcendet in montem Domini: aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Hæc eſt generatio

quærentium eum, quærentium faciem DEI Jacob. Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio. Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Antiphona.

Hæc accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à DEO ſalutari ſuo: quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem Stolæ, eam introducit in Eccleſiam, dicens:

Ingredere in templum DEI, adora Filium Beatæ MARIÆ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.

Et ipſa ingreſſa genuflectit coram Altari & orat, gratias agens Deo, pro beneficiis ſibi collatis, & Sacerdos dicit:

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter, &c. *Secreto.*

Verſ. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Reſp. *Sed libera nos à malo.*

Verſ. *Sal-*

Vers. *Salvam fac ancillam tuam Domine.*
Resp. *Deus meus sperantem in te.*
Vers. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.*
Resp. *Et de Sion tuere eam.*
Vers. *Nihil proficiat inimicus in ea.*
Resp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
Vers. *Domine exaudi orationem meam.*
Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui per Beatæ MARIÆ Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertisti: respice propitius super hanc famulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione lætam accendentem: & præsta, ut post hanc vitam ejusdem Beatæ MARIÆ meritis & intercessione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole sua pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Deinde illam aspergit iterum aquâ benedictâ in modum Crucis, dicens:

Pax & benedictio DEI Omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super te, & maneat semper. Amen.

ORDO

ORDO MINISTRANDI SAC. COMMVNIONEM.

Extra Sacrum quolibet tempore.

SAcerdos reconciliatis pœnitentibus, ante quos linteo mundo extenſo, lotis propriis manibus & ſuperpelliceo indutus, ac deſuper ſtolâ poſitâ procedit, præcedente Miniſtro ad Altare, manibus junctis, & accenſis cereis, factâ priùs & poſteà genuflexione ante Sacramentum, extrahit pixidem, & illam ſuper corporali depoſitam diſcooperit: Converſus autem ad communicandos, ſi expedire videt, excitabit eos ad contritionem, admonebit quoque eos breviſſimè ad devotam & dignam tanti Sacramenti ſuſceptionem: Quibus finitis Miniſter genibus flexis, nomine populi ad cornu Epiſtolæ facit Confeſſionem generalem, dicendo: *Confiteor Deo, &c.* Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis ante pectus, vertit ſe ad populum, & in cornu Evangelii, dicit: *Miſereatur, & Indulgentiam, abſolut. &c* addita in fine S. Crucis ✠ benedictione. Deinde ad Altare ſe convertit, genuflectit, manu ſiniſtra pixidem prehendit, & Sacramentum accipit, & elevat, converſusque ad populum in medio

Altari dicit clara voce: Ecce Agnus DEI; ecce, qui tollit peccata mundi.

Deinde monet, ut dicant sequentem orationem, ter repetendo, & pectus tundendo:

Domine non sum dignus, ut intres &c.

Postea ad communicandum accedit, incipiens ab istis, qui sunt ad partem Epistolæ, sed primò à Sacerdotibus, qui intra cancellos esse debent, stolâ induti, & det singulis Hostiam, faciens cum eâ signum Crucis super pixidem, dicens:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.

Ministrans habeat poculum alterius generis à calice, vino si deest, aquâ impletum, & singulis, qui volunt ablutionem sumere, porrigat in manus eorum, nisi sint simplices, vel pueri, quibus Minister de manu sua dabit.

Ubi omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad Altare, dicere poterit:

O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Vers. *Panem de cælo præstitisti eis.*

Resp. *Omne delectamentum in se habentem.*

Tempore Paschali additur Alleluja.

Mox Sacerdos dicit:

Verſ. *Domine exaudi orationem meam.*
Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Verſ. *Dominus vobiſcum.*
Reſp. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DEUS, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas, &c.

Tempore Paſchali dicitur Oratio.

SPiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde: ut quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Antequam reponat Sacramentum, advertat diligenter, ut ſi aliquod fragmentum digitis adhæſerit, illud in pixidem deponat, & eosdem digitos abluat & abſtergat purificatorio, ablutionem illis, qui tunc communicarunt, ſumendam tradat, aut ſaltem in Sacrarium injiciat. Poſtea genuflectens ſeponit Sacramentum in tabernaculo, & clave obſerat. Deinde extenſa manu dextera, benedicit iis qui communicarunt, dicens:

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Reſp. Amen.

DE

DE COMMVNIONE INFIRMORVM.

Notandum, Sacerdos ad communicandum infirmum vocatus, prius eum privatim conveniat, ut confessionem expediat, processurus verò ad infirmum cum Sacramento, aliquot campanæ ictibus jubeat connocari Parochianos, seu confraternitatem, qui Sacram Eucharistiam cum cereis comitentur, præmoneat, ut ægri cubiculum mundetur, & in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, præterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur. Ubi jam convenerint fideles, Sacerdos indutus superpelliceo & stola, in pixidem reponat hostias duas, unam pro infirmo, alteram pro reditu, (nisi magna distantia loci esset) & tunc una sufficiet, cui vellum sericeum super imponit: Ipse verò Sacerdos imposito sibi prius ab utroq; humero oblongo velo decenti, utraq; manu accipiat vas cum Sacramento, præferendæ sunt faces, cum sonitu campanulæ & cantu, si fieri potest, sequantur duo, quorum alter aquam benedictam cum aspersorio, & bursam cum Corporali, & cum purificatorio: alter librum Ritualem deferet. Postremò Sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus, sequatur dicens Psalmum: Miserere mei, *& alios Psalmos & cantica.*

Ingrediens verò locum, ubi jacet infirmus, dicat: Pax huic domui. Resp. Et omnibus habitantibus in ea.

Tunc depositum Sacramentum super mensam supposito corporali genuflexus adorat, & mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum & cubiculum, dicens Antiphonam.

Asperges me Domine hysopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor, *& primum versum Psalmi:* Miserere mei Deus, *cum* Gloria Patri. Sicut erat in principio, *&c.*

Deinde repetitur Antiphona.

Asperges me Domine.

Postea ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
Resp. *Qui fecit cælum & terram.*
Vers. *Domine exaudi orationem meam.*
Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

EXaudi nos Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum, &c. Resp. Amen.

His dictis accedat ad infirmum, ut cognoscat, num sit benè dispositis ad suscipiendum sacrum viaticum, & num confessione iterum indigeat: Posteà factà de morte confessi-

fessione generali. *Sacerdos dicit:* Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c.

Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atq; illud elevans, ostendit infirmo, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. *Et timore solito ter dicat:* Domine non sum dignus, &c. *Tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam, dicat:*

Accipe frater (vel soror) viaticum Corporis Domini nostri JESV CHRISTI, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam. Amen.

Si verò Communio non datur per modum viatici, dicat modo ordinario: Corpus Domini nostri JESV CHRISTI, &c

Quod si mors immineat, tunc dicto Misereatur &c *omissis precibus, vel omnibus vel ex parte, ei statim viaticum præbeatur. Postea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, & infirmo detur ablutio. Deinde dicit:*

Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DOmine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro (vel sorori nostræ) sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi

Filii tui tàm corpori quàm animæ prosit ad remedium sempiternum. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

His expletis, si altera Hostia superfuerit, genuflectit, surgit & accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum Crucis super infirmum, nihil dicens, & revertitur ad Ecclesiam, dicens Psalmum: Laudate Dominum de cœlis, &c. *& alios Psalmos & Hymnos, prout tempus feret. Cùm pervenerit ad Ecclesiam, ponet Sacramentum super Altare, adorabit, deinde dicet:*

Vers. *Panem de cœlo præstitisti eis.*
Resp. *Omne delectamentum in se habentem.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis & regnas DEVS in sæcula sæculorum, Amen.

Postea anuntiat Indulgentias concessas sanctissimum Sacramentum comitantibus. Demum cum Sacramento, in pixide velo cooperta, faciat signum Crucis

Crucis super populum, nihil dicens: Et reponat illud in loco suo.

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM Extremæ Vnctionis.

SAcerdos hoc Sacramentum ministraturus, parari curet apud infirmum mensam, mappâ candidâ coopertam, itemq; vas, in quo sit bombacium, in septem globos distinctum, ad abstergendas partes inunctas: medullam panis, ad abstergendos digitos, & aquam, ad abluendas Sacerdotis manus: deinde convocatis ministris, qui Crucem, aquam benedictam cum aspersorio, & librum Ritualem deferant: Ipse Sacerdos decenter accipit vas sacri Olei infirmorum sacculo sericeo violacei coloris inclusum, illudq; cautè defert, ne effundi possit. Procedat autem sine sonitu campanulæ. Cùm autem perventus fuerit ad locum infirmi, intrans cubiculum, dicat Sacerdos:

✠ Pax huic domui. Resp. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde posito Oleo super mensam, superpelliceo stolaq; indutus violacea, ægroto Crucem deosculandam porrigit, mox in modum crucis cum aqua benedicta cubiculum & circumstantes aspergit, dicens: Antiph. Asperges me, &c. *Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & absolvat.*

Deinde piis verbis eum consoletur, de hujus Sacramenti vi atq; efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat, ejus animum confirmet, & in spem exigat vitæ æternæ. Postea dicit versiculum:

Vers. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
Resp *Qui fecit cœlum & terram.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

INtroeas Domine JESV CHRISTE domum hanc, sub nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas, Divina prosperitas, serena letitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna, ✠ effugiat ex hoc loco accessus dæmonum; adsint Angeli pacis, domumq; hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica Domine super nos Nomen sanctum tuum, & benedic ✠ nostræ conversationi, sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui Sanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu Sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

OREMUS.

ET deprecamur Dominum nostrum Jesum Christum, ut benedicendo bene ✠ dicat hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum custodem, & faciat eos sibi servire ad considerandum mirabi-

rabilia de lege sua: avertat ab eis omnes contrarias potestates, eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat DEUS in sæcula sæculorum. Amen.

OREMUS.

EXaudi nos Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quæ Orationes, si tempus patiatur, ex parte, vel in totum, poterunt omitti. Tum de more factâ confessione generali, Latino vel vulgari sermone Sacerdos dicat:

Misereatur tui Omnipotens, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c.

Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent, & ubi commodum fuerit, pro loco & tempore, & adstantium numero & qualitate, recitent septem Psalmos Pænitentiales, cum Litaniis, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat: Mox dicat:

In Nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli, per

li, per impositionem manuum nostrarum, & per invocationem Omnium Sanctorum, Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque Omnium simul Sanctorum, Amen.

Deinde intincto pollice in Oleo sancto, in modum Crucis inungit infirmum in partibus his subscriptis, aptando proprio loco verba formæ, in hunc modum:

AD OCULOS.

Per istam Sanctam Vnctionem ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per Visum deliquisti, Am.

Minister verò, si est in sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eaq; in vase mundo reponat, & ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresq; projiciat in Sacrarium.

AD AURES.

Per istam Sanctam Vnctionem ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per Auditum deliquisti, Am.

AD NARES.

Per istam Sanctam Vnctionem ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per Odoratum deliquisti, Amen.

AD

AD OS *compressis Lapis.*

Per iſtam Sanctam Vnctionem ✠ & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per Guſtam & Locutionem deliquiſti, Amen.

AD MANUS.

Per iſtam Sanctam Vnctionem ✠ & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per Tactum deliquiſti, Amen.

Et adverte, quod Sacerdotibus ut dictum eſt, manus non inunguntur interius ſed exterius.

AD PEDES.

Per iſtam Sanctam Vnctionem ✠ & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per Greſſum deliquiſti, Amen.

AD LUMBOS *ſive* RENES.

Par iſtam Sanctam Unctionem ✠ & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per Lumborum delectationem deliquiſti, Amen.

Hæc autem Vnctio ad Lumbos, ut dictum eſt, omittitur ſemper in Fœminis, & etiam Viris, qui ob infirmitatem vix, aut ſine periculo moveri non poſſunt.

Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit:

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter, &c. *Secretò,*

Verſ. *Et ne nos inducas in tentationem.*
Reſp. *Sed libera nos à malo.*
Verſ. *Salvum fac ſervum tuum Domine.*
Reſp. *Deus meus ſperantem in te.*
Verſ. *Mitte ei Domine auxilium de ſancto,*
Reſp. *Et de Sion tuere eum.*
Verſ. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*
Reſp. *A facie inimici.*
Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
Reſp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
Verſ. *Domine exaudi orationem meam.*
Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Verſ. *Dominus vobiſcum.*
Reſp. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DOmine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutos es, infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes cum Oleo in nomine Domini, & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei: cura quæſumus Redemptor noſter gratiâ Sancti Spiritus languores iſtius infirmi, ejusque ſana vulnera, & dimitte peccata,

cata, atq; dolores cunctos mentis & corporis ab eo expelle, plenamq: interius & exterius ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas DEVS, in ſæcula ſæculorum, Amen.

OREMUS.

RESpice quæſumus Domine famulum tuum N. in infirmitate ſui corporis fatiſcentem, & animam refove, quam creaſti; ut caſtigationibus emendatus, ſe tua ſentiat medicina ſalvatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

DOmine ſancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam, ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis: ad invocationem tui nominis aſſiſte, ut famulum tuum ab ægritudine liberatum, & ſanitate donatum, dexterâ tuâ erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atq; Eccleſiæ tuæ ſanctæ cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit &c.

Ad extremum, pro Perſonæ qualitate, ſalutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus

 ad

ad moriendum in Domino confirmetur, & ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.

DE VISITATIONE INFIRMORVM.

Parochus ægrotos visitans, imprimis spiritualem ægrotantium curam suscipiat, omnemq; diligentiam in eo ponat, in vitam salutis eos dirigat, atq; à diabolicis insidiis salutarium adiumentorum præsidio tueatur, suadeatur ægroto, ut cum integra mente est, rem suam omnem rectè constituat, & testamentum faciat, si quid alienum habet, restituat, & ad remedium animæ suæ de facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat: sed hæc suggerendo, notam avaritiæ caveat. Demum hortetur infirmum, & excitet, ut dum mente viget, eliceat actus Fidei, Spei, Charitatis, aliarùmq; virtutum nempe.

Vt firmiter credat omnes articulos fidei, & quidquid sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica credit & docet.

Vt speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, & merito ejus sanctissimæ Passionis, & per intercessionem Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, se vitam æternam consecuturum.

Vt toto corde diligat, & maximè diligere cupiat Dominum Deum eâ dilectione, quâ illum diligunt Beati, Electique omnes. Vt

Vt ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa, qualitercunque contra Dominum Deum & proximum commissa.

Vt ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti, aut inimici.

Vt ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis aut factis offendit.

Vt quem patitur dolorem & morbi molestiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum patienter toleret.

Vt si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis â peccatis cavere, & ejus mandata servare.

Hortatur præterea, ut eo modo, quo potest, saltem ex corde per intervalla precetur:

Miserere mei DEVS, secundùm magnam misericordiam tuam.

In te Domine speravi, non confundar in æternam.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Redemisti me Domine Deus veritatis.

Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina.

Esto mihi Domine in Deum protectorem.

DEVS propitius esto mihi peccatori.

Dulcissime Domine Jesu Christe, per virtutem

turem Sanctissime Passionis tuæ, recipe me in numerum Electorum tuorum.

Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum.

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Sancte Angeli Dei mihi custos assiste.

Omnes sancti Angeli, & omnes Sancti, intercedite pro me, & mihi succurrite.

Hæc & his similia poterit prudens Sacerdos vulgari vel Latino sermone, pro Personæ captu, morienti suggerere.

Quo officio præstito, antequam discedat, dicere poterit Psalmum aliquem ex Pœnitentialibus, vel Psalmum.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, &c. *cum* Gloria Patri, &c. *Postea dicat:*

Kyrie eleyson Christe eleyson.

Kyrie eleyson, Pater noster, &c.

Vers. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Resp. *Sed libera nos à malo.*

Vers. *Salvum fac servum tuum Domine.*

Resp. *Deus meus sperantem in te.*

Vers. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.*

Resp. *Et de Sion tuere eum.*

Vers. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

Resp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

Vers. *Esto*

Verſ. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*
Reſp. *A facie inimici.*
Verſ. *Dominus opem ferat illi.*
Reſp. *Super lectum doloris ejus.*
Verſ. *Domine exaudi orationem meam.*
Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Verſ. *Dominus vobiscum.*
Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

OREMUS.

DEus, cui proprium eſt miſereri, ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos, & hunc famulum tuum, quos delicto-rum catena conſtringit, miſeratio tuæ pieta-tis clementer abſolvat.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præ-ſidium, auxilii tui ſuper famulum tuum o-ſtende virtutum, ut ope miſericordiæ tuæ re-adjutus, Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis re-præſentari mereatur.

Concede hunc famulum tuum, quæſumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſâ Beatæ MARIÆ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti li-berati triſtitia, & æternâ perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, deſcendat ſu-per te, & maneat ſemper. Reſp. Amen.

Deniq;

Deniq́; aquam benedictam & Crucem coram ei relinquat, si non habet, ut eam frequenter aspiciat, & pro sua devotione osculetur & amplectatur. Admoneat domesticos, ut si morbus ingravescat, & agonizet, statim Parochum accersant, ut morientem adjuvet sed si mors immineat priusquam discedat, Sacerdos animam Deo ritè commendabit.

DE BENEDICTIONIBVS
Regulæ Generalis.

In omnibus Benedictionibus extra Missam Sacerdos saltem superpelliceo & stolâ pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur.

Stando semper benedicat, & aperto capite.

In principio cujusq́; benedictionis dicat:

Vers. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
Resp. *Qui fecit cælum & terram.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

Deinde dicitur Oratio propria una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit.

Postea rem aspergat aquâ benedictâ, & ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

Dum Secerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquæ benedicta & aspergillo, & cum hoc libro, seu Missali.

Caveat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta: seu quod ejusmo-

ejusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam.

ORDO AD FACIENDAM AQVAM BENEDICTAM.

D*Iebus Dominicis, & quandocunq; opus fuerit, præparato sale & aqua munda benedicenda in Ecclesia, vel in Sueristia, Sacerdos superpelliceo & Stolâ violaceâ indutus primò dicit:*

Vers. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
Resp. *Qui fecit cælum & terram.*

Deinde absolutè incipit Exorcismum Salis

EXorcizo te Creatura Salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Elizæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis: & effugiat atq; discedat à loco, in quo aspersum fuerit, omnis phantasia & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque Spiritus immundus adjuratus, per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Resp. Amen.

OREMUS.

IMmensam clemensiam tuam omnipotens, æter-

æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc Creaturam Salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis: & quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum nostrum, &c.

Exorcismus Aquæ, & dicatur sine Oremus.

EXorcizo te Creatura Aquæ in nomine Dei ✠ Patris Omnipotentis, & in nomine Jesu ✠ Christi, Eilii ejus, Domini nostri, & in virtute Sancti ✠ Spiritus, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis suis Apostaticis: per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Resp. Amen.

OREMUS.

DEus, qui ad salutem humani generis maxima quæquæ Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene ✠ dictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmo-

dæmones, morbosq́; pellendos, Divinæ gratiæ ſumat effectum: ut quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxa: non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens: diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti aſperſione hujus aquæ effugiat: ut ſalubritas per invocationem Sancti tui Nominis expetita, omnibus ſit impugnationibus defenſa: Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

Hîc mittat Sal in Aquam, in modum Crucis, dicendo ſemel:

Commixtio Salis & Aquæ, pariter fiat in Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spi ✠ ritus Sancti, Amen.

Verſ. *Dominus vobiscum.*

Reſp. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DEUS invictæ virtutis auctor, inſuperabilis imperii Rex, ac ſemper magnificus triumphator: qui adverſæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas: qui hoſtiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes & ſupplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam Sa-

lis & Aquæ dignantur aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices: ut ubicunq; fuerit aſperſa, per invocationem ſancti tui nominis omnis infeſtatio immundi ſpiritus abigatur, terrorq; venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia Sancti Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus, ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c. Amen.

Antiphona.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor, Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, Gloria Patri, &c.

Aſperges me, *repetatur.*

℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.*
℟. *Et ſalutare tuum da nobis.*

OREMUS.

EXaudi nos Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oratio propria poſt aſperſionem aquæ ſuper populum diebus Dominicis expeditam.

OREMUS.

Præſta

PRæsta nobis, quæsumus Domine, hac aqua aspersis, sanitatem corporis, integritatem mentis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

A Dominica Paschæ usq; ad Pentecosten.

VIdi aquam egredientem de templo, à latere dexto, Alleluja. Et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, & dicent Alleluja, Alleluia. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Gloria Patri, &c.

Vers. *Domine apud te est fons vitæ, Alleluja.*
Resp. *Et in nomine tuo videbimus lumen, Allel.*

OREMUS.

COncede, quæsumus Omnipotens DEUS, ut qui Paschalia festa peragimus, cœlestibus desideriis accensi, fontem vitæ sitiamus, Jesum Christum, &c. Resp. Amen.

Pax æterna *quando canitur, sequitur*

Vers. *Beati qui habitant in domo tua Domine.*
Resp. *In sæcula sæculorum laudabunt te.*

OREMUS.

Exaudi nos Domine, *ut suprà pag. 62.*

BENEDICTIO FONTIS BAPTISMI.

 Extra

Extra Sabbatum Paschæ & Pentecostes,

cùm aqua consecrata non habetur, ex Rituali Romano.

Primùm lavatur & mundatur vas Baptismi, deinde limpidâ aquâ repletur: Tum Sacerdos cum sancta Cruce & duabus cereis præcedentibus, ac thuribulo & incenso, & cum vasculis Chrismatis & Olei Catechumenorum descendit ad fontem, & ibi dicit Litaniam de Omnibus Sanctis, vel illam, quæ est in Missali Sabbatho sancto. Et ante.

Vers. *Ut nos exaudire digneris.*

Dicat his sequentem versum.

Ut Fontem istum ad regenerandum tibi novam prolem benedicere ✠ & consecrare ✠ digneris. Te rogamus audi nos.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson. Pater noster, &c.

Et credo in DEUM, &c. *omnia clarâ voce.*

Quibus finitis dicat:

Vers. *Apud te Domine est fons vitæ.*
Resp. *Et in lumine tuo videbimus lumen.*
Vers. *Domine exaudi orationem meam.*
Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEUS, adesto

magnæ

magnæ pietatis tuæ myſteriis, adeſto Sacramentis, & ad recreandos novos populos, quos tibi Fons Baptiſmatis partuerit, Spiritum adoptionis emitte: ut quod noſtræ humilitatis gerendum eſt miniſterio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c. Reſp. Amen.

Exorcismus Aquæ.

EXorcizo te Creatura Aquæ, per Deum vivum, ✠ per Deum verum, ✠ per Deum ſanctum, ✠ per Deum, qui te in principio verbo ſeparavit ab arida, cujus ſuper te Spiritus ferebatur, qui te paradiſo manare juſſit.

Hic manu Aquam dividit, & deinde de ea effundat extra marginem Fontis, verſus quatuor orbis partes proſequens.

Et in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit, qui te in deſerto amaram per lignum dulcem fecit atq; potabilem, qui te de petra produxit, ut populum, quem ex Ægypto liberaverat, ſiti fatigatum recrearet. Exorcizo te, & per Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui te in Cana Galilææ ſigno admirabili ſuâ potentiâ convertit in vinum, qui ſuper te pedibus ambulavit, & à Joanne in Jordano in te baptizatus eſt, qui te una cum ſangvine de latere ſuo produxit, & diſcipulis ſuis juſſit, ut

credentes baptizarent in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, ut efficiaris aqua ſancta, aqua benedicta, aqua quæ lavat ſordes, & mundat peccata. Tibi igitur præcipio omnis ſpiritus immunde, omne phantaſma, omne mendacium, eradicare & effugare, ab hac creatura aquæ, ut qui in ipſa baptizandi erunt, fiat eis Fons aquæ ſalientis in vitam æternam, regenerans eos Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in nomine ejusdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

DOmine ſancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, aquarum ſpiritualium ſanctificator, ſuppliciter deprecamur, ut ad hoc miniſterium humilitatis noſtræ reſpicere digneris, & ſuper has aquas abluendis & purificandis hominibus præparatas, Angelum ſanctitatis emittas, quo peccatis vitæ prioris ablutis, reatuq; deterſo, purum Sancto Spiritui habitaculum regenerari effici mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Tunc ſufflet ter in aquam verſus tres partes: deinde imponit incenſum in thuribulo, & fontem incen-

incensat. Postea infundet de Oleo Catechumenorum in aquam, in modum Crucis, clarâ voce dicat:

Sanctificetur & fœcundetur Fons iste Oleo salutis, renascentibus ex ea in vitam æternam. In Nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde infundit de Chrismate, modo quo suprà dicens:

Infusio Chrismatis Domini Jesu Christi, & Spiritus Sancti paracleti, fiat in nomine Sanctæ Trinitatis. ℟. Amen.

Postea accipit ambas ampulas dicti Olei sancti & Chrismatis, & de utroq; simul in modum Crucis infundendo dicat:

Commixtio Chrismatis sanctificationis & Olei unctionis, & aquæ Baptismatis pariter fiat in Nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tunc deposita ampula, dextrâ manu Oleum sanctum & Chrisma infusum miscet cum aqua, & spargit per totum fontem. Deinde medullâ panis manum tergit, & si quis baptizandus est, cum baptizat. Quod si neminem baptizat, statim manus abluat, & ablutio effundatur in Sacrarium.

RECONCILIATIO PALLARVM, CORPORALIVM,

& Linteaminum sacrorum, post eorum ablutionem.

Sacerdos ſuperpelliceo & ſtolâ indutus dicit:

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℞. *Qui fecit cælum & terram.*

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, Innocentiæ reſtituor, qui per Moyſen famulum tuum præcepiſti Sacerdotibus & Miniſtris, ut in Sanctuario veſtes nitidæ aſſervarentur, & maculatæ mundarentur, ne quid ineſſet, quod tuæ oculos offenderet Majeſtatis, tibi has veſtes tuâ benedictione conſecratas referimus mundas & nitidas, ſuppliciter deprecantes, ut eas in uſum miniſterii tui priſtinum placidus ac benignus reaſſumere digneris, quatenus ſacrificium tibi acceptum & nobis ſalutiferum ſuper eis offerre valeamus. Per Jeſum Chriſtum, &c.

Deinde aſpergit aquâ benedictâ, dicens:

Reconciliare, & ad uſum priſtinum ſacri miniſterii renovare: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spi ✠ ritus Sancti, Amen.

MODVS PERAGENDI PROCESSIONEM.

In Feſto Aſcenſionis Domini.

Incipit Chorus abſolutè Antiphonam.

Cùm Rex gloriæ, &c.

Reli-

Reliqua ut in Processione Festi Paschatis perficiuntur, intrando in Ecclesiam, canitur Resp.

Ite in Orbem terrarum, &c.

Deinde fiat statio in medio Ecclesiæ, ubi incipit Officians Versus:

Oramus Domine Conditor inclyte.

Chorus prosequitur reliquum.

Officians: Ut cum flammivoma nube reverteris, &c.

Officians: Præsta hoc Genitor optime maxime.

Intrando chorum, Officians ad Altare accedens cum ministris, & accipiens imaginem Crucifixi, eam cum reverentia paulatim ter attollit. Antiph.

Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum.

Chorus prosequitur:

Deum meum, & Deum vestrum, Alleluja.

Et post singulas intonationes Crucem iterum parùm dimittit, quam in Altari demum collocat, Sacro verò finito, ad Sacrastiam eandem reverenter delatam ibi ponit.

MODVS PERAGENDI PROCESSIONEM.

In Die S. Pentecostes.

Hoc die peragitur Processio tota, eodem modo, quo tempore Paschali peragi solet. Intrando solum Ecclesiam; canitur Responsorium. Appa-

Apparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ.

Deinde ſit ſtatio in medio Eccleſiæ, ubi Prælatus Officians incipit hos verſus Hymni:

Veni creator Spiritus.
Da gaudiorum præmia.
Per te ſciamus da Patrem.
Chorus reliquum proſequitur.

℣. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, Alleluja.*

℟. *Et renovabis faciem terræ, Alleluja.*

Præſta quæſumus Omnipotens & miſericors DEVS, ut Sanctus Spiritus adveniens Templum nos gloriæ ſuæ dignanter inhabitando perficiat. Per Chriſtum, &c.

Intrando chorum, canitur Antiphona:

Accipite Spiritum Sanctum, &c.

IN FESTO ASSVMPTIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

BENEDICTIO HERBARVM ET PROCESSIO.

Abſolutâ aſperſione, ſi Feſtum venerit in Dominica, alioqui immediatè ante majorem Miſſam, Officians pluviali ſolenni indutus, ante Altare converſus ad populum, tenentem herbas vel fructus, incipit voce intelligibili.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

Deinde dicat Pſalmum 64.

Te

TE decet Hymnus DEVS in Sion: & tibi reddetur votum in Hierusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentiâ: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini & vespere delectabis.

Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorũ, quoniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inebrians multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescunt speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

Induti

Induti ſunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt etenim, Hymnum dicent. Gloria Patri, &c.

℣. *Dominus dabit benignitatem.*

℟. *Et terra noſtra dabit fructum ſuum.*

℣. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis.*

℟. *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra.*

℣. *Producens fœnum jumentis.*

℟. *Et herbam ſervituti hominum.*

℣. *Et educas panem de terra.*

℟. *Et vinum lætificet cor hominis.*

℣. *Ut exhilaret faciem in Oleo.*

℟. *Et panis cor hominis confirmet.*

℣. *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos.*

℟. *Et eripuit eos de omnibus interioribus eorum.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℣. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui cœlum, terram, mare, viſibilia & inviſibilia verbo tuo ex nihilo creaſti: quiq; herbas arboresq; ad uſus hominum animaliumq; terram gignere, & unumquodq; juxta ſementem in ſemetipſo fructum habere præcepiſti: atque non ſolùm, ut herbæ animantibus ad victum, ſed ægris etiam corporibus prodeſſent ad medicamentum, tua ineffabili pietate conceſſiſti: te ſupplici mente & ore deprecamur: ut

has

has diversi generis herbas & fructus tuâ clementiâ bene✠dicas, & supra naturalem à te inditam virtutem eis benedictionis tuę novę gratiam infundas, ut usum ad hominibus & jumentis in nomine tuo applicatæ, omnium morborum & adversitatum efficiantur præsidium. Per Dominum nostrum, &c.

OREMUS.

DEUS, qui per Moysen famulum tuum mandasti filiis Israel, ut manipulos novorum fructuum benedicendos deferent ad Sacerdotes, tollerentque fructus arboris pulcherrimæ, & lætarentur coram te Domino Deo suo: adesto propitius in vocationibus nostris, & infunde tuæ bene✠dictionis abundantiam super nos, & super manipulos novarum frugum, uvarum, herbarum, & fructuum collectione, quæ cum gratiarum actione tibi repræsentamus, & in nomine tuo in hac solennitate bene✠dicimus: & concede, ut hominibus, pecoribus, pecudibus & jumentis contra morbos, pestes, ulcera, maleficia, incantationes, veneficia, serpentum & aliorum venenosorum animalium & bestiarium morsus, nec non quæcunq; venena, remedium præstent: atq; contra diabolicas illusiones & machinationes & fraudes tutamen ferant: in quocunq; loco positum, vel por-

portatum, aut habitum aliquid ex eis fuerit. Quatenus cum manipulis bonorum operum, meritis Beatæ MARIÆ Virginis, cujus Assumptionis Festum colimus, quo ipsa assumpta est, suscipi mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

OREMUS.

DEUS, qui Virgam Jesse, Genitricem Filii tui Domini nostri JESU CHRISTI, hodierna die ad cœlorum fastigia ideò evexisti, ut per ejus suffragia & Patrocinia, fructum ventris illius, eundem Filium tuum, mortalitati nostræ communicares: te supplices exoramus, ut ejusdem Filii tui virtute, ejusq; Genitricis glorioso patrocinio, istorum terræ fructuum præsidiis per temporalem ad æternam salutem disponamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, descendat super has creaturas, & maneat semper. ℟. Am.

Postea thurificentur herbæ, & aquâ benedictâ aspergantur: & succedat Processio cum cantu Responsorii: Vidi speciosam, &c. *prout in Rituali.*

BENEDICTIO PANIS ET AQUÆ, IN FESTO S. AGATHÆ.

Contra Ignis periculum.

Sacer-

Sacerdos celebrans Missam in Festo, in Canone majori antequam proferat verba illa: Per quem hæc omnia Domine semper bona creas. *Conversus ad populum, panem & aquam tenentem dicit.*

Psalmum 66.

DEUS misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Gloria Patri, & Filio, &c.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson. Pater noster, &c.

Et ne nos inducas in tentationem, &c.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum & terram.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc & usque in sæculum.*

℣. Ora

℣. *Ora pro nobis Beata Agatha.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DOmine JESU CHRISTE, Fili DEI vivi, qui es Panis vivus, qui de cœlo descendisti, bene✠dic, & sancti✠fica hos panes & aquam, in honorem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris, ut ubicunque contra ignem comburentem missa vel posita fuerint, illicò ignis evanescat, & penitus extinguatur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

Benedictio Dei Omnipotentis Pa✠tris, & Filii, & Spiritus ✠ Sancti, per intercessionem Beatæ Agathæ, Virginis & Martyris tuæ, descendat super has creaturas, & maneat semper. Amen.

Postea aspergat aquâ benedictâ: & reversus ad Altare, prosequitur in Canone ubi desierat: Per quem hæc omnia Domine semper creas, &c. *usque ad finem Missæ. Hoc pane vescantur eodem die, initio comestionis in domo constituti, aquam verò servent, ut tempore necessitatis in ignem injiciatur.*

IN FE-

IN FESTO SANCTI STEPHANI,

BENEDICTIO AVENÆ.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum & terram.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℣. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

BEne ✠ dic Domine creaturam iſtam Avenæ, ut ſit remedium ſalutare Equis, cæterisque animalibus: & præſta, per invocationem ſancti Nominis tui, ut quæcunq; ex ea guſtaverint, corporis ſanitatem percipiant. per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Creator & Conſervator generis humani, dator gratiæ ſpiritualis, largitor ſalutis æternæ. Tu Domine mitte Spiritum tuum ſuper hanc creaturam Avenæ, ut armata virtute cœleſtis diſpenſationis Equis, cæteriſq; animalibus ex ea guſtantibus, proficiat ad ſanitatem. Per Dominum noſtrum, &c.

Et Benedictio Dei Patris ✠ Omnipotentis, & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, deſcendat ſuper hunc creaturam Avenæ, Amen.

IN FESTO.

S. JOANNIS EVANGELISTÆ, BENEDICTIO VINI, ET ALTERIUS POTUS.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*
℞. *Qui fecit cælum & terram.*
V. *Dominus vobiscum.*
R. *Et cum Spiritu tuo.*
Evangel: *In principio erat Verbum, &c.*

OREMUS.

PEr ſermones S. Evangelii, & per merita S. JOANNIS Apoſtoli & Evangeliſtæ, bene ✠ dicere & conſe ✠ crare digneris, Domine Deus, dexterâ tuâ hunc Calicem vini & cujuslibet potus: & præſta, ut omnes in te credentes, & de Calice iſto libentes, benedicantur & protegantur. Et ſicut Beatus JOANNES de Calice bibens venenum, illæſus omninò permanſit, ita iſti hodie in amore tuo, & Beati JOANNIS, de Calice iſto bibentes, meritis ipſius ab omni ægritudine veneni, & noxiis quibusvis abſolvantur, & corpore ac anima ſe offerentes, ab omni culpa liberentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Bene ✠ dic Domine, hanc creaturam Potus,

tus, ut sit remedium salutare omnibus: & præsta per invocationem sancti nominis tui, ut quicunque ex eo gustaverint, tam animæ, quàm corporis sanitatem re donante percipiant. Per Christum Dominum nostrum, Am.

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super hanc creaturam Vini, & cujuslibet potus, & maneat semper.

IN FESTO EPIPHANIÆ,

BENEDICTIO AVRI, MYRRHÆ, ET THURRIS.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum & terram.*
V. *Domine exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*
V. *Dominus vobiscum.*
R. *Et cum Spiritu tuo.*

BEne ✠ dico te Creatura Auri, Thurris, & Myrrhæ: Per Deum Patrem Omnipotentem, per Jesum Christum Filium ejus unicum, & Spiritum Paracletum, per omnia sancta & ineffabilia Nomina Dei: & per mysterium hujus sanctæ diei, quæ eadem munera in titulum Regalem, & magnificentiam Sacer-

dotalem, ac ſepulturam Dominicam, tres Magi obtulerunt. Bene✠dico te, ut has virtutes in te ſuſcipias, & in te ſemper teneas, ut quicunq; te creaturam Auri, Thurris,& Myrrhæ, ob reverentiam divinæ Majeſtatis, & ob corporis ac animæ ſuæ ſalutem circa ſe geſtaverint, aut quocunq; recto modo habuerint, divinâ eos protegente potentiâ ab omni periculo corporis & animæ ſint tuti, ubique mortem ſubitaneam, morbosq; omnes effugiant: hoſtiumq; viſibilium & inviſibilium inſidias evadant, & omne deſiderium eorum proſperetur: & abſolvat eos dominus ab omnibus triſtitiis, veneficiis, & cunctis adverſitatibus. Per eundem Dominum noſtrum,&c.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

℣. *Benedicamus* Domino:

℟. *DEO gratias.*

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠S. deſcendat ſuper nos, & ſuper has creaturas, & maneat ſemper. A.

Poſtremò aquâ benedictâ aſpergat.

BENEDICTIO
CUJUSCUNQUÆ INCENSI.

Tua quæſumus Omnipotens ſempiterne Deus immenſæ Majeſtatis dextera, hanc crea-

creaturam incensi, bene ✠ dicere & sanctificare ✠ digneris, ut in virtute sancti Nominis tui, omnes immundorum spirituum phantasticos incursus, effugare, omnesq; morbos reddita sanitate expellere, ubicunque fumus ejus afflaverit, mirabiliter possit: atq; tibi omnipotenti Deo odorem fragrantissimum perpetua servitute reddere. Per Christum, &c.

BENEDICTIO CANDELARUM,

Extra Diem Purificationis B M.V.

Ex Rituali Romano.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, bene ✠ dic Candelas istas supplicationibus nostris, infunde eis Domine per virtutem sanctæ Crucis ✠ benedictionem cœlestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talemq; benedictionem signaculo S. Crucis ✠ accipiant, ut quibuscunq; locis accensæ sive positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, & contremiscant, fugiant pa-

vidi cum omnibus ministris suis, ab habitationibus illis: nec præsumant ampliùs inquietare aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. R. Amen.

Postmodum aspergantur aquâ benedictâ,

BENEDICTIONES

Esculentorum, præsertim IN FESTO PASCHÆ.

V. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
R *Qui fecit cælum & terram.*
V. *Dominus vobiscum.*
R *Et cum Spiritu tuo.*

BENEDICTIO AGNI PASCHALIS.

DEus, qui per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi jussisti, in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, & utrosq; postes domorum de sanguine hujus agni perungi ✠ præcepisti: ita bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus: per Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorũ, A.

BENEDICTIO OVORVM, IN DIE PASCHÆ.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℞. *Qui fecit cælum & terram.* V. *Do-*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*
V. *Dominus vobiscum.*
R. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Subveniat, quæsumus Domine, tuæ bene ✠ dictionis gratia huic Ovorum creaturæ, ut cibus salubris fiat tuis fidelibus in tuarum gratiorum actione sumentibus, ob Resurrectionem Domini Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Aspergit aquâ benedictâ.

BENEDICTIO PANIS PRO INFIRMIS.

V. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
R. *Qui fecit cœlum & terram.*
V. *Dominus vobiscum.*
R. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere digneris hunc Panem tuâ sanctâ spirituali benedictione, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, Panem vivum, qui de cœlo descendit, & dat vi-

tam & salutem mundo, & tecum vivit & regnat, &c.

Aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO LACTICINIORUM.

DIgnare Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere & sanctificare hanc creaturam Butyri, Casei, Lactis, &c. quæ ex adipe animalium educere dignatus es, ut quicunq; ex populis tuis fidelibus ex ea comederint, vel gustaverint, omni bene✠dictione cœlesti & gratia saturari repleantur in bonis. Per Christum Dominum, &c.

Et benedictio Omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠Sencti, descendat super hanc creaturam N. & N. & per virtutem sanctæ Crucis & mortis Jesu Christi Domini nostri, fugiat ab eis omnis infestatio Satanæ, & omne phantasma evanescat: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

BENEDICTIO OLEI

Simplicis, ex Rituali Romano.

℣. *Adjutorium &c.* ℟. *Qui fecit cælum, &c.*

EXORCISMUS.

EXorcizo te Creatura Olei, per Deum Patrem ✠ Omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, omnis

mnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incursus, omne phantasma Satanæ eradicare & effugare ab hac creatura Olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis & corporis, in nomine Dei Patris ✠ Omnipotentis, & Jesu ✠ Christi Filii ejus Domini nostri, & Spiritus Sancti ✠ Paracleti, & in charitate ejusdem Domini nostri JESU CHRISTI, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

DOmine Deus Omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur: dignare respicere, & bene ✠ dicere, & sanctifi ✠ care hanc creaturam Olei, quod ex olivarum succo eduxisti, ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitate percepta, tibi Deo vivo & vero gratias agerent: præsta quæsumus, ut qui hoc Oleo, quod in tuo nomine benedicimus, ✠ usi fuerint, ab omni languore omniq; infirmitate, atq; cunctis insidiis inimici liberentur, & cunctæ adversitates separentur, â plasmate tuo, quod pretioso sanguine Filii

tui redemiſti: ut nunquam lædatur à morſu ſerpentis antiqui. Per Dominum noſtrú, &c.

BENEDICTIO AD QVODCVNQVE COMESTIBILE ET POTABILE.

V. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*
R. *Qui fecit cælum & terram*
V. *Domine exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*
V. *Dominus vobiscum.*
R. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

BEne✠dic Domine creaturam iſtam N. ut ſit remedium ſalutare generi humano, & præſta per invocationem tui ſanctiſſimi Nominis, ut quicunque ex ea ſumpſerint & guſtaverint, corporis ſanitatem & animæ tutelam accipiant Per Dominum noſtrum, &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

BENEDICTIO NOVORVM FRUCTUUM.

BEne✠dic Domine hunc novum fructum N. & præſta, ut qui ex eo in tuo ſancto Nomine veſcetur, corporis & animæ ſalute potiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Et mox aſpergit aquâ benedictâ.

BENE-

BENEDICTIO DOMUS NOVÆ.

V. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
R. *Qui fecit cælum & terram.*

ANTIPH: *Vanum est vobis ante lucem surgere.* Nisi Dominus ædificaverit domum, & custodierit eam. PSALM:

N*isi Dominus ædificaverit domum, invanum laboraverunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis suis somnũ: ecce hæreditas Domini Filii. merces fructus ventris. Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.* Gloria Patri, &c.

PSALM: *Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus. Labores manuum tuarũ quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit. Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellæ olivarũ: in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicitur homo, qui timet Dominũ: Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorũ: pacem super Israel.* Gloria Patri, &c.

PSALM:

Psalm: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti ejus sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: & vitam usque in sæculum. Gloria Patri, &c.*

His finitis, & Antiphona repetita, dicitur:

℣. *Domine exaudi orationem, &c.*

℟. *Dominus vobiscum, &c*

OREMUS.

TE Deum omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & pro ejus habitatoribus ac rebus, ut eam bene✠dicere & sanctificare, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis Domine de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas: ad introitum ergo nostrum bene✠dicere & sanctificare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Jacob, & intra parietes domus istius Angeli tui lucis inhabitent, eamq; & ejus habitatores custodiant. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

OREMUS.

VIsita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè

longè repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui illos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſancta ſit ſuper eos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergat partes & angulos domus aquâ benedictâ, dicens:

Per ſacram hujus aquæ aſperſionem largiatur Dominus huic domui, & in ea contentis, ſuam benedictionem, & ſecuram manſionem.

OREMUS.

DEfende quæſumus Domine domum iſtam habitanteſq; in ea, à majoribus uſque ad minimos, à conflagratione ignis, à tempeſtate, ruina, peſte, infirmitate, & ab omnibus periculis, inſultibus inimicis: ut ſecura in te confidentium habitatio effici mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, deſcendat in hunc locum, & maneat ſemper. ℟. Amen.

BENEDICTIO DOMORVM.

Quovis tempore facienda ex Rituali.

Parochus ingrediens domum, dicat:

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde

Deinde loca aſpergendo, dicat:

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Gloria Patri, &c.

Et repetitur Antiphona.

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

V *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Exaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Reſp. Amen.

Deinde aſpergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO LOCI, EX RITVALI ROMANO.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

V. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

V. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Bene-

BEnedic ✠ Domine Deus Omnipotens locum istum, ut sint in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & hæc benedictio maneat super hunc locũ, & super habitantes in eo, nunc & semper. ℟. Amen.

Aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO THALAMI,

Ex Rituali Romano.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum & terram.*
V. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

BEne ✠ dic Domine Thalamum hunc, & omnes habitantes in eo, ut in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senesuant, multiplicentur in longitudine dierum, ad regna cœlorum perveniant. ℟. Am.

BENEDICTIO NOVÆ NAVIS,

Ex Rituali Romano.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum & terram.*

℣. *Do-*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & bene✠dic Navem iſtam dexterâ tuâ ſanctâ, & omnes, qui in ea vehenter, ſicut dignatus es benedicere Arcam Noæ ambulantem in diluvio: porrige eis Domine dexteram tuam, ſicut porrexiſti Beato Petro ambulanti ſuper mare: & mitte ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet & cuſtodiat eam ſemper à periculis univerſis, cum omnibus qui in ea erunt: & famulos tuos repulſis adverſitatibus portu ſemper optabili curſuque tranquillo tuearis, transactiſq; ac rectè perfectis negotiis omnibus iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis & regnas DEVS, &c.

Aſpergit Navem aquâ benedictâ.

BENEDICTIO AQVARVM. ET FLVMINVM.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

DOmine Jeſu Chriſte, qui Jordanis flumen bene-

benedixiſti, & in eodem baptizatus, aquas mundaſti, ut elementum purum efficeretur in remiſſionem peccatorum: has aquas quoque bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare, mundare digneris, ut nihil in eis noxium, nihil peſtilens vel inficiens, nihil corrumpens remaneat, ſed omnia pura & munda in eis efficiantur, quatenus quæ in uſum humanum ex eis creata ſunt, cum ſalute noſtra & gloria tua aſſumamus. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIO COMMVNIS SVPER FRVGES ET VINEAS,

Ex Rituali Romano.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum & terram.*
V. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
V. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

ORamus pietatem tuam Omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ, quas aëris & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas: & fructus terræ tuæ uſq; ad maturitatem perducas: Tribuas quoque populo tuo, de tuis

 munc-

muneribus tibi ſemper gratias agere, ut fertilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

BENEDICTIO. SEMINVM.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini,*
℟. *Qui fecit cælum & terram.*

OREMUS.

TE Domine petimus ac rogamus, ut grana ſeminum frumenti, Siliginis, Hordei, Avenæ, ac aliorum cujuscunq; generis exiſtant tuis oculis ſerenis, hilariq; vultu reſpicere digneris. Sicut autem per Moyſen famulum tuum populô tuo pollicitus es, dicens: Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum cœlum, ut tribuat pluviam terræ ſuæ in tempore ſuo, benedicetq; cunctis operibus manuum tuarum, ita oramus Domine, ut nobis miſericorditer præſtes auxilium gratiæ tuæ, & ſuper hæc ſeminum grana benedictionem ✠ tuá benignus effundas, non ea volucres cœli ſurripiant, non turbo ſubvertat, nec vis tempeſtatis grandinumq; ex areſcentia detruncet, nec aëris ſerenitas, aut inundatio pluvialis exterminet, ſed incolumia & ſuperabundantia

tia propter usum hominum, ad plenissimam maturitatem perducere digneris. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

BENEDICTIO HERBARUM, V. G. RUTHÆ, &c.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum & terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

BEne ✠ dic Domine Jesu Christe hanc Rutham, vel N. & infunde ei per tuam virtutem tuam sanctam benedictionem ✠ cœlestem, ut quicunq; ex ea subfumigatus fuerit, vel apud se eam habuerit, inimicus ei nocere non possit: in quibuscunq; locis respersa fuerit, vel posita, ad salutem conducat: recedat & contremiscet Diabolus, & fugiat, nec præsumat amplius illudere vel inquietare creaturas tuas, Bene✠dicaris igitur Rutha vel N. in nomine Domini nostri Jesu Christi, & Sanctæ Trinitatis, ut sis exterminatio Diabolica, & omnium contubernalium ejus, ac quorumcunq; morborum. Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, amen

BENEDICTIO ROSARIORUM VEL CORONARUM.

℣. *Adjutorium nostrum, &c.* ℟. *Qui fecit, &c.*
V. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

OMnipotens & misericors Deus, qui propter nimiam charitatem, quâ dilexisti nos, Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum pro redemptione nostra de cœlis in terram descendere, & de Beatissimæ Virginis Mariæ utero, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut hæc Rosaria (vel Coronas) in honorem & laudem ejusdem genitricis Filii tui, ab Ecclesia tua fideli dicata bene ✠ dicas & sancti ✠ fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicunq; ea secum honestè portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, & devote usus fuerit, ab omni hoste visibili & invisibili semper & ubiq; in hoc sæculo liberetur, & in exitu suo à Beatissima Virgine Dei Genetrice, tibi plenus bonis operibus præsentari mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super hæc Rosaria, (vel Coronas,) & maneat semper. ℟. Amen.

Aspergat aquâ benedictâ.

BENE-

BENEDICTIO VASORUM.

℣. *Adjutorium noſtrum, &c.* ℣. *Dominus vob. &c.*

OREMUS.

PRotector fidelium Deus, & ſubditorum pectorum habitator, quæſumus, ut ſerenis oculis tuæ pietatis hæc vaſa ita bene ✠ dicere digneris, ut ſuper ea deſcendat gratiæ tuæ larga bene✠dictio, ut utentibus per gratiam tuam mereantur effici munda & ſalubria. Per Dominum noſtrum, &c. Amen.

Aſpergit aquâ benedictâ.

BENEDICTIO RETIS.

℣. *Adjutorium, &c.* ℣. *Dominus vobiscum, &c.*

OREMUS.

QUæſumus Pater Omnipotens, æterne Deus, ut mittere digneris benedictionem tuam ✠ ſanctam in iſtud Rete, quod benedicimus ✠ in ſancto tuo nomine, & Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti, quemadmodum benedicere dignatus es Sanctorum Apoſtolorum tuorum Rete, cùm dixiſti eis: Mitte in dexteram navigii rete, & invenietis, impletumque eſt multitudine piſcium: fac nos, non propter noſtra merita, ſed propter tuam clementiam adjuvare digneris de tua gratia, ut de tuis donis tibi ſem-

per gratias agamus, qui es benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO CONTRA AVES, VERMES, MURES,

Vel alia Animalia, Fructus, Terram, Aquas, vastantia.

℣. *Adjutorium nostrum, &c.* ℟. *Qui fecit, &c.*
V. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, & hanc Avium, Vermium, Murium, &c. persecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur, ut procul per tuam potentiam expulsi nulli nocent: & hos Campos, Agros, Vineas, Aquas, &c. in tranquillitate & quiete dimittant: quatenus ex eis surgentia & ora tuæ Majestati deserviant, & nostræ necessitati subveniant. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miserator, in cujus nomine omnia genua flectant, cœlestia, terrestria, & infernalia: tua potentia nobis peccatoribus omnipoten-

potenter concede, ut quod de tua misericordia confisi agimus, per tum gratiam efficacem consequamur effectum: quatenus hos pestiferos Vermes, Mures, &c. per nos servos tuos maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peste liberati gratiarum actione Majestati tuæ liberè referamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c. R. Amen.

Sequitur Exorcismus.

EXorcizo vos pestiveros Vermes, Mures, Aves, &c. Per Deum ✠ Patrem Omnipotentem, & Jesum ✠ Christum Filium ejus, & Spiritum ✠ Sanctum ab utroq; procetende: ut confestim recedatis ab his Campis, Vineis, Agris, &c. nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis; jussu Omnipotentis DEI, & totius curiæ cœlestis, & Ecclesiæ sanctæ DEI, vos maledicentis: Ut quocunq; jeritis, sitis maledicti, deficientes de die in diem, in vos ipsos, & decrescentes, & quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariæ ad salutem & usum humanum. Quod præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, Amen.

BENEDICTIO IN PESTE ANIMALIUM.

Primò Animalia aſpergantur aquâ benedictâ, poſtea dicatur:

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum & terram.*
V. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
V. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

MIſericordiam tuam Domine ſupplices exoramus, ut hac animalia, quæ gravi infirmitata vexantur, in nomine tuo atque tuæ bene✠dictionis virtute ſanentur. Extinguatur in eis omnis Diabolica poteſtas, & ne ulterius ægrotent, tu eis Domine ſis remedium ſanitatis, & defenſio vitæ. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c. Amen.

BENEDICTIO ITER INGREDIENTIUM.

Sacerdos ſuper genuflexos dicat totum Itinerarium: in Verſibus autem & Reſponſoriis ac Orationibus voce primæ Perſonæ proferat in tertia Perſona, ſingulari, ſi una, aut plurali, ſi plures benedicit. Qui modus ſervandus cum iis, qui peregrinantur

grinantur ad loca sacra: in fine Itinerarii adjungatur Oratio sequens:

EXaudi Domine preces nostras, & iter famulorum tuorum propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubiq; largire, quatenus á cunctis adversitatibus tua opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum, Amen. Pax & benedictio ✠ Dei Omnipotentis, Patris, & filii, & Spiritus S. descendat super vos, & manent semper, Amen.

Deinde aspergat aquâ benedictâ

BENEDICTIO COMMVNIS.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum & terram.*

V. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

CReator & Conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, tu Domine mitte Spiritum S. tuum, cum superna benedictione ✠ super hanc creaturam N. ut armata virtute cœlestis defensionis, illi qui ea fruentur, proficiat ad corporis & animæ salutem ac tutelam. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c. Amen.

Aspergatur aquá benedictâ.

PRECES AD REPELLENDAM TEMPESTATEM.

Pulsantur Campanæ, & qui adesse possunt, in Ecclesiam convocatis, dicuntur Litaniæ ordinariæ, in quibus bis dicitur : A fulgure & tempestate, &c. *& post Litanias Oratio Dominica.*

Psalmus 147

Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, &c.

℣. *Adjutorium nostrum, &c.* ℟. *Qui fecit cælum & terram.* ℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* ℟. *Et salutare tuum da nobis.* ℣. *Adjuva nos Deus salutaris noster.* ℟. *Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* ℣. *Fiat misericordia tua Domine super nos.* ℟. *Quemadmodum speravimus in te.* ℣. *Salvum fac populum tuum Domine.* ℟. *Et benedic hæreditati tuæ.* ℣. *Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia.* ℟. *Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in te.* ℣. *Domine exaudi, &c.* ℟. *Et clamor, &c.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

A domo

A domo tua, quæsumus Domine, spirituales nequitiæ repellantur, & aërum discedat malignitas tempestatum.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus, ut post noxios ignes nubium & vim procellarum in misericordiam transeat laudis, comminatio tempestatem.

Domine Jesu, qui imperasti Ventis & Mari, & facta fuit tranquillitas magna, exaudi preces familiæ tuæ, & præsta, ut hoc signo Crucis ✠ omnis discedat sævitia tempestatum.

Omnipotens & misericors Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conservas: præsta supplicibus tuis, ut & tranquillitatibus optatæ consolationis lætemur, & dono tuæ pietatis semper utamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c. Amen.

Aspergat aquâ benedictâ.

MALEFICIORVM
Et Incantationum Depulsio.

IGitur Sacerdos depulsurus ejusmodi Maleficia, firma fide & integritate vitæ præditus esse, & vel pridie tantum jejunare, ipsa verò die depulsionis, Missam accommodatam negotio, celebrare priùs debet. Ac in templo quidem veste lintea & stola, extra templum autem

autem stola tantùm amictus, & incantatum sive maleficio affectum hominem vel animalia ante se habens, aut si locus incantatus est, in eo stans, parata aqua & thure, vel herbis benedictis, devotè sic oret:

V. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson Pater noster. Ave Maria. Credo.

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

V. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DEus Cœlorum, Terræ, Maris, & omnium quæ in eis sunt, Conditor & Moderator: qui Satanam extollentem sese adversus mentem tuam, una cum asseclis ipsius, sicut fulgura de cœlo præcipitasti: & ministrorum ejus Magorum Pharaonis, Moysi servo tuo resistentium. incantationes & maleficia inefficacia reddidisti: te supplices oramus, ut incantationes, præstigia, & maleficia huic famulo tuo (huic famulæ, vel huic loco, vel his creaturis) improba fraude dæmonum, (meritis peccatorem nostrorum fortassis) intenta & inflicta omnipotenti virtute tua, & clementi bonitate dimoveas, avertas, & itidem ineffi-

cacia reddas, quo tyrannide eorum liberati, tibi Domino Deo noſtro expeditius ſerviamus, & nomen ſanctum tuum ſtudioſiùs celebremus. Per Dominum noſtrum &c. Amen.

OREMUS.

DOmine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui de ſinu Patris in terras deſcendiſti, ut opera diaboli diſſolveres, & diſcipulis tuis dediſti poteſtatem calcandi ſerpentes & ſcorpiones: te ſupplices precamur, ut eos ipſos antiquos ſerpentes atq; dracones diabolos, qui in hoc famulo tuo (hac famula tua, vel in loco, vel in his creaturis tuis) tyrannidem ſibi uſurpand, pedibus familiæ tuæ potenter ſubjicias, & opera eorum, quæ adducti incantationibus & maleficiis hominis mente corrupti & ſibi dediti, in perniciem ſervi tui, (vel ſervorum tuorum,) machinantur & exercent, divina clementia & virtute tua diſſolvas, & inefficacia reddas. Qui cum eodem Patre tuo & Spiritu Sancto Deus unus regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo & adjuro vos maledicti diaboli, quicunq; & quotquot eſtis; qui adducti incantationibus, maleficiis & nefariis artibus hominis vobis addicti, hominem hunc, vel

vel locum hunc, (vel has Dei creaturas,) perniciosè vexatis & exagitatis: ut hinc ſtatim cum omnibus præſtigiis & maleficiis veſtris diſcedatis, nec ullam vobis deinceps poteſtatem in hunc hominem(vel in hunc locum, vel in has Dei creaturas) uſurpetis. Hoc autem non mea virtute vel meritis vobis præcipio: ſed in nomine Dei Omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti: & in virtute Sanctæ ✠ Crucis, & mortis Chriſti Domini noſtri, per quam poteſtas omnis tenebrarum & tyrannis veſtra in homines & omnes creaturas Dei enervata & exinanita eſt. Recedite ergo, & fugite hinc illicò, & date locum Dei potentiæ, diſſolventis opera veſtra maligna, per immenſam miſericordiam ſuam, increpet in vos digitus Dei, qui Magorum Pharaonis incantationes inefficaces reddidit, & cujus virtutem tunc agnoviſtis, cum Pauli Apoſtoli imperio vim veſtram in Elymam, magnum mancipium veſtrum (ad cujus nutum multis nocebatis) convertiſtis, & cum in Sanctam Juſtinam, incantante, & vos urgente Cypriano, nihil profeciſtis. Sit ſuper vos nunc etiam terror Dei Omnipotentis, qui vos in ignem æternam præcipitatus eſt. Pater, ✠ & Filius, ✠ & Spiritus ✠ Sanctus, Amen.

His dictis aſpergatur homo, vel locus, vel jumenta,

menta, & pecudes incantatæ & maleficiatæ aquâ benedictâ: & suffitu thuris vel herbarum benedictarum lustrentur, sive incensentur.

MODVS THVRIFICATIONIS In Primis Vesperis FESTI.

THurificatio Altarium sit tantùm in primis Vesperis Festorum solemnium, & quidem tali modo: *Ad canticum Magnificat Officians, post verba dicta ab alio:* Jube Domine benedicere; *respondet, imposito incenso à se in thuribulum, & benedicendo illud in forma Crucis:* Incensum istud dignetur Dominus benedicere, & in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Deinde accedat ad Altare, *ibiq; accepto à Ministro thuribulo, facta reverentia, facit cum thuribulo tres ductus in formam Crucis: primò in medio* Altaris, *postea in parte Evangelii, dicendo:*

Dirigatur Domine Oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum Sacrificium vespertinum. *Rediens ad medium* Altaris, *elevet thuribulum modicè super* Altare, *& tenendo prosequatur:* Incensum istud ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua. Per Christum Dominum nostrum, Amen. *Tunc Officians osculatus* Altare, *recedit.* CONDV-

CONDVCTVS FVNEBRIS MINOR.

DEfuncto aliquo, Sacerdos superpelliceo & stolâ lugubri indutus, & comitatu instructus, ordinata cum Cruce Processione ad Corpus Defuncti in silentio accedit. Vbi Defunctus aspergitur aquâ benedictâ, procedente Processione cum Cantu.

Resp. Libera me Domine de viis inferni, qui portas æreas confregisti, & visitasti infernum, & dedisti eis lumen, ut viderent te, qui erant in pœnis tenebrarum, clamantes & dicentes: Advenisti Redemptor noster. Qui erant, &c.

Cùm fuerit perventum ad sepulchrum, canitur:

V. Qui Lazarum, &c. *Quo finito genuflexo dicat:* Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster. Ave Maria.

℣. *Et ne nos inducas, &c.* ℟. *Sed libera nos &c.*

V. *A porta inferi.* ℟. *Libera Domine animas eorũ.*

V. *Requiescant in pace* R. *Amen.*

V. *Domine exaudi, &c.* R. *Et clamor meus, &c.*

V. *Dominus vobiscum.*

R. *Et cum Spiritu tuo.*

Deinde aspergendo prosequitur.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam inspirare dignatus es: dum te jubente pulvis redit in pulverem,

tum Imaginem tuam eidem corpori virtute resurrectionis tuæ reddendam, cum Sanctis & Electis tuis æternis sedibus præcipias sociari. Per Christum Dominum nostrum, Am.

Defuncto in tumulum demisso, Sacerdos aspergat illum aquâ benedictâ, & parvum terræ injiciendo dicat:

De terra formasti me Domine, & carne induisti me: resuscita me in novissimo die, Redemptor meus Domine.

In fine, dum perficitur sepultura, canitur:
Salve Regina, &c.

CONDVCTVS MAJOR.

Corpore defuncti ad Ecclesiam perlato, & in loco constituto, fiat Sacrum, quo finito, Officians deposita casula, indutus pluviali nigro, vadit ad feretrum cum ministris deferentibus aspersoriũ & thuribulum: cum quibus ad caput defuncti consistens, dicit:

Non intres in judicium cum servo tuó (*famula tua*) Domine quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur ei remissio. Non ergo eum (*eam*) quæsumus tua judicialis sententia premat, quem (*quam*) tibi vera supplicatio fidei Christianæ recommendat, sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui (*quæ*) dum viveret, insignitus (*insi-*

gnita) est signaculo Sanctæ Trinitatis. Pe
Christum Dominum nostrum, Amen.

Deinde canitur Responsorium:

Credo quod Redemptor meus, &c.

*Si in vigiliis recantatum est, substituatur se-
quens Responsorium:*

Subvenite Sancte DEI, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi, suscipiat te Christus, qui vocavit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te: Suscipientes, &c.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Offerentes, &c.

Interia Prælatus primò circuit feretrum, aspergit aquâ benedictâ, & incensat.

Quo finito dicat flexis genibus:

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster, &c. Ave Marie.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animas eorum.*

V. *Requiescant in pace.* R. *Amen.*

V. *Domine exaudi, &c.* R. *Et clamor meus, &c.*

V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum Spiritu tuo.*

Deinde surgendo dicat:

OREMUS.

DEus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostrum, sed mu-

tantur

tantur in melius, te ſupplices deprecamur, ut quicquid anima famuli tui (famulæ tuæ) vitiorum tuæq; voluntati contrarium, fallente Diabolo, aut propria iniquitate, aut fragilitate contraxit, tu pie & miſericors indulgendo abluas, eamque ſuſcipi jubeas per manus Sanctorum Angelorum tuorú, deducendam in ſinum Patriarcharum tuorum: Abraham ſcilicet amici tui, & Iſaac electi tui, atque Jacob dilecti tui, unde fugit dolor, & triſtitia, atque ſuſpirium, ubi fidelium animæ felici jucunditate lætantur, & in noviſſimo magni judicii de inter Sanctos & electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculos non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quam præparaſti Deus diligentibus te. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Poſtea Chorus canit Reſponſorium:

Qui Lazarum reſuſcitaſti, &c.

Interea Sacerdos ſecundò circuit feretrum, aſpergit, & incenſat.

Quo finito:

Kyrie eleyſon, &c. *& reliqua ut ſupra.*

OREMUS.

FAc quæſumus Domine, hanc famulo tuo defuncto miſericordiam, ut factorum ſuorum in pænis non recipiat vicem, qui tuam

in votis tenuit voluntatem. Et quia hic illum vera fides junxit, fidelium turmis illic eum tua miseratio societ Angelicis Choris. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Aspergat Sacerdos feretrum aquâ benedictâ, & thuribulo incenset in modum Crucis, & sic effertur ad tumulum defunctus, Choro interim cantante:

Libera me Domine, &c.

Reliqua perficiuntur, ut supra in minori Conductu.

CONDVCTVS PARVULORVM BAPTIZATORVM.

Ante usum rationis defunctorum.

Sacerdos cum Processione veniens ad corpusculum, aspergat illud aquâ benedictâ, & incenset; deinde alternatim dicat cum ministris Psalmum 120. Levavi oculos meos in montes, &c.

Postea effertur parvulus, cum cantu Psalmi 121. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, &c. *vel:* Laudate pueri Dominum, &c.

Circa sepulchrum dicant alternatim Psalmum 130. Domine non est exaltatum, &c. *vel:* Domini est terra plenitudo ejus, &c. *Psalm.* 23.

Post hæc dicit cum reliquis genuflexus:

Kyrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson. Pater noster, &c.

Secretò.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Me*

℣. *Me autem propter innocentiam suscepisti.*
℟. *Et confirmasti me in conspectu tuo æternum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

OMnipotens & mitissime Deus, qui omnibus Parvulis renatis fonte Baptismus, dum migrant à sæculo, sine vellis eorum meritis, vitam illicò largiris æternam, sicut animæ hujus Parvuli hodie credimus te fecisse: fac nos, quæsumus Domine, per intercessionem Beatæ MARIÆ semper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiso cum Parvulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum, Resp. Amen.

Immisso in sepulchrum corpusculo, & aquâ benedictâ asperso, canitur: Salve Regina, &c.

BENEDICTIO VEXILLI.

℣. *Adjutorium nostrum, &c.* ℟. *Qui fecit &c.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, & triumphantium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, & hoc vexillum, quod bellico usui præparatum est, cœlesti benedictione sanctifica, ut contra adversarias & rebelles

nationes ſit validum, tuoque munimine circumſpectum, ſitq; inimicis Chriſtiani populi terribile, atque in te confitentibus ſolidamentum & certa fiducia victoriæ. Tu enim es Deus, qui conteris bella, & cœleſtis præſidii ſperantibus in te præſtas auxilium. Per unicum Filium tuum Chriſtum Dominum noſtrum, qui tecum vivit & regnat, &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Tradens Vexillum, dicit:

Accipe Vexillum cœleſti benedictione ſanctificatum, ſitq; inimicis populi Chriſtiani terribile: & det tibi Deus gratiam, Vt ad ipſius nominis honorem cum illo hoſtium cuneos potenter penetres incolumis & ſecurus. *Deinde dat illi oſculum pacis, dicens:* Pax tibi, &c.

FORMA INSCRIBENDI BAPTIZATOS.

Anno Domini Die Menſis Ego N. Sacerdos hujus Eccleſiæ S N. civitatis *vel* loci N. baptizavi infantem Die natum *vel* natam ex N. & N. conjugibus hujus Parochiæ, *vel* S. N. & ex tali patria & familia, cui impoſitum eſt nomen N. Patrini fuerunt N. Filius N. ex Parochia ſeu loco N. & N. coniux N. filia N. ex Parochia ſeu loco N.

ORATIO *propria poſt aſperſionem aquæ ſuper populum diebus Dominicis expeditam.*

OREMUS.

PRæſta nobis, quæſumus Domine, hâc aquâ aſperſis ſanitatem corporis, integritam mentis, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

INDEX

INDEX

Eorum, quæ in hoc Rituali continentur.

AGni Paschalis benedictio. 82
Aquarum & fluminum benedictio. 92
Aquæ benedictæ efficiendi ratio. 59
Avenæ benedictio in Festo S. Stephani. 77
Auri, Thuris & Myrrhæ benedictio in Feste Epiph. 79
Baptismalis fontis extra Sabbat. Paschæ &c. bened. 63
Baptismalis aquæ benedictio, quando in necessitate ex fonte haberi non potest. 4
Baptismo servientis Salis benedictio. 3
Baptismi Parvulorum Ordo. 5
Ratio supplendi omissa super Baptizatum. 17
Baptizatos inscribendi Forma. 114
Benedictionem Regulæ generales. 58
Benedictio post partum. 37
Benedictio communis. 101
Candelarum benedictio extra Festum Purificat. 81
Cibi aut potus communis benedictio. 86
Communionis Sacræ extra Missam administratio. 40
Communio Infirmorum. 43
Conductus minor. 108
Conductus major. 109
Conductus Parvulorum. 112
Denuntiationis faciendi forma. 33
Domus benedictio. 89
Domus novæ benedictio. 87
Extremæ Vnctionis Sacramenti administratio. 47
Fructuum novorum benedictio. 86
Frugum & Vinearum benedictio. 93
Herbarum in Festo Assumpt. B.V.M. benedictio. 70
Incensi cujuslibet benedictio. 80
In Infirmorum visitatione observanda. 54
Infirmorum animalium benedictio. 100

Introductio mulieris post nuptias. 34
Iter ingredientium benedictio. 100
Lacticinorum benedictio. 84
Linteaminum Sacrorum &c. reconciliatio. 67
Loci benedictio. 90
Maleficiorum depulsio. 103
Matrimonii Sacramentum. 23
Matrimonii Sacramentum celebrandi ratio. 24
Matrimonio junctos inscribendi forma. 32
Navis benedictio. 91
Nupt. bened. absq; Missa pro Sponso & Sponsa. 30
Olei simplicis benedictio. 84
Oratio post aspers. aquæ bened. diebus Domin. 114
Ovorum benedictio. 82
Panis benedictio pro infirmis. 83
Panis & aquæ benedictio in Festo S. Agathæ. 74
Pœnitentiæ Sacramenti administratio. 20
Processio in Ascensione Domini. 68
Processio in Pentecosten. 69
Retis benedictio. 97
Rosariorum aut Coronarum benedictio. 95
Rutbæ aliarumque herbarum benedictio. ibid.
Seminum benedictio. 94
Tempestatum repulsivæ preces. 102
Thalami benedictio. 91
Thurificationis modus in primis Vesperis Festi. 107
Vasorum benedictio. 97
Vastantium fructus, terram, &c. vermium, avium. &c. sublativa benedictio. 98
Vini alteriusq; potus bened. in festo S. Joan. Evang. 78
Vexilli benedictio. 113

F I N I S.

GEDANI,
Typis JOHANNIS-ZACHARIÆ STOLLII,
Anno 1700.

INFIRMITATIS HUMANÆ PRÆSIDIUM,

Sive

Libellus Infirmorum.

In quo breviter & practicè traditur

Quomodo adminiſtranda ſint Sacramenta Infirmis.

Deinde, quomodo devotè orandum ſuper Moribundis.

Tertiò, quomodo devotè orandum ſuper Agonizantibus.

Cum Gratia & Privilegio.



THORUNII,
Ex Officina JOH. CHRIST. LAURERI
M DC XCI.

ÆTERNO
TOTIUS UNIVERSITATIS
AUCTORI, RECTORI,
JUDICI,
DEO TRINO & UNI,

Potenti, Sapienti, Bonoque,
JUSTITIÆ & PROVIDENTIÆ
ABYSSO,

MISERICORDIÆ PARENTI.

TER OPT MAXIMO,

Qui Cœlum GLORIA,
Mare POTENTIA,
Terras SAPIENTIA,

Omnia BONITATE, imo TEIPSO replet.

Altiſſimo ſuper omnem terram,

Cujus oculi lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum,

REGI MAGNO
ſuper omnes Deos.

Qui ſolus habes immortalitatem, & lucem inhabitas inacceſſibilem.

Qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.

In quo Vivimus, Movemur, & Sumus,

Qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione,

Qui es PRINCIPIUM & FINIS;

Et SUMMUM Rationalis Creaturæ BONUM.

Tuus ſum ego: Tua ſunt OMNIA.

EX QVO, PER QVEM, & IN QVO ſunt omnia.

Quid enim mihi eſt in cœlo?
Et à TE quid volui ſuper terram?

O DEUS MEUS & OMNIA.

Facul-

NOs F. Carolus-Maria Maceratensis Minister Generalis Capucinorum (licet immeritus) Opus, cui titulus, Liber Infirmorum, &c. à P. Martino Cochemensi, nostri Ordinis Exlectore compositum, à duobus Theologis ejusdem Ordinis lectum & approbatum, ut typis mandari possit, servatis servandis, tenore praesentium concedimus. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas, & sigillo Officij nostri obsignatas dedimus. Romae 13. Iunij 1685.

Fr. Carolus Maria Generalis.

Approbatio P. Raphaelis, Capuc. SS. Theol. Lect.

EX ardenti animarum zelo voluit Adm. V. Pater Martinus Cochemensis Capucinus, cum Apostolo 1. Cor. 1. Omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaceret; ideoque factus est in hoc Infirmorum Libello, à se utilissimè conscripto, infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaceret. Quod Opusculum unà cum Benedictionibus & Exorcismis, alias approbatis, de Mandato Rever. Patris Alexandri, Rhenanae nostrae Provinciae Provincialis Vicarij, diligenter perlegi, nilque in eo nisi utile, nisi pium, nisi sanctum reperi; ideoque dignum, ut Typis mandetur judicavi. Datum Moguntiae 4. Iulij 1685.



LIBELLUS JNFIRMORUM.

Modus miniſtrandi Viaticum.

SAcerdos cubiculum infirmi ingreſſus dicat:
Pax huic domui.

℞ Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde cum ciborio det benedictionem infirmo, nihil dicens, quia Chriſtus ipſemet benedicit. Depoſito ciborio aſpergat infirmum & circumſtantes aquâ benedictâ, dicens antiph.

Aſperges me. ℣. Miſerere. Gloria Patri &c.
Repet. Aſperges. *Deinde dicitur.* Oremus.

VIſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab eà longè repellè: adſint Angeli tui ſancti, qui me miniſtrum tuum adjuvent, & infirmum famulum tuum in vera fide cuſtodiant.

EXaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat atq; defendat infirmum hunc, & omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum.

¶ *Sacerdos igitur infirmo alicui Sacerdoti aut Domino ſeculari Viaticum daturus, non præſupponat eum*

eundem, utpote satis prudentem, sese ad ipsum sufficienter præparasse; cùm experientiâ constet, eundem ob debilitatem capitis, variasque angustias, idipsum non tam benè posse, uti sanus poterat. Idcirco eum hoc vel simili modo alloquatur.

Exhortatio ad Infirmum.

REverende (aut Dilecte) Domine, cum benignissimus Deus infirmitatem hanc Reverentiæ (Dominationi) suæ pro salute sua immiserit: idcirco optimè fecit Sacramenta Ecclesiæ maturius desiderando: ut per eadem in gratia Dei confortetur, & cum majori fructu infirmitatem suã perferat. Attuli igitur suæ Reverentiæ (Dominationi) sacrosanctum Altaris Sacramentum, verum scilicet corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi: quod ipsi tanquã optimũ pro corporis & animæ salute remedium, devotè ministrabo. Ut autem idipsum eò dignius suscipiat, elevet mentem suam in Deum atque una mecum sequenti Oratione dilectum suum Iesum hic personaliter præsentem invocet.

Oratio ante Viaticum.

PIjssime Jesu, ego corpore & anima infirmus, desidero sacratissimum corpus & sanguinem tuum, tanquam Viaticum suscipere: & per idipsum animã meam ad iter illud arduum æternitatis munire. Cum ergo hæc sacra Communio forte sit ultima, quam in hac mortali vita suscepturus sum: idcirco rogo, ut

per

per tuam gratiam etiam sit efficacissima omnium, quas in tota vita mea suscepi. Fateor me verè esse indignissimum, hoc tremendum Sacramentum suscipere : nec me posse ullo modo ad idipsum dignè præparare : deprecor igitur te, mi Jesu amantissime, dignare peccatricem animam meam tibi ipsi præparare, & dignum tuæ Majestati habitaculum in ea cōstruere. Ablue eam amarissimis lachrymis tuis : emunda eam sanguineo sudore tuo : purifica eam sacrâ aquâ lateris tui : sanctifica eam aspersione divini sangvinis tui : imbue eam spiritu devotionis tuæ : orna eam sacratissimis virtutibus tuis : dita eam copiosissimis meritis tuis : & accende eam ardentissimâ charitate tuâ : ut tot & tantis virtutibus ornata, fiat tibi jucundissimum habitaculum, in quo æternaliter delecteris habitare. Ecce ego accedo ad te cum maxima cordis contritione : cum verissima indignitatis meæ agnitione : cum profundissima humilitate & reverentia : & cum ardentissimo te suscipiendi desiderio. Suscipe me igitur cum omni benignitate & charitate tua : & da, ut per gratiam tuam te ipsum, ut efficacissimum animæ meæ Viaticum, dignissimè suscipiam, Amen.

Dicto Confiteor, Misereatur, *&* Ecce Agnus Dei, &c. *Sacerdos dicat.*

Cre-

Credis quòd hic ſit Chriſtus Salvator tuus? *Quo Reſpondente* : Credo firmiſſimè; *det ei Sacramentum dicens*:

Accipe Frater chariſſime Viaticum corporis Domini noſtri Jesu Chrtſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam, Amen.

Sacerdos ablutis digitis, & infirmo datâ ablutione, genuflexus dicat:

O Sacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur; recolitur memoria paſſionis ejus: mens impletur gratiâ: & futuræ gloriæ nobis dignus datur. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem, &c.*

℣. *Salvum fac ſervum tuum.*

℟. *Deus meus ſperantem in te.*

℣. *Mitte ei auxilium de ſancto.*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Eſto ei domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Domine exaudi.* ℣. *Dominus vobiſcum.*

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te ſuppliciter deprecamur, ut accipienti fratri noſtro ſacroſanctum corpus Domini noſtri Jesu

Christi Filij tui; tam corpori quàm animæ prosit ad remedium sempiternum. Qui tecum vivit & regnat.

Oremus.

COncede hunc famulum tuum, quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis, omniumque Sanctorum intercessione à præsenti liberari tristitiâ & æternâ perfrui lætitiâ.

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo infirmo deprecantes, & misericordiæ tuæ auxilium implorantes; ut redditâ sibi sanitate gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones, Per Dominum.

Hic surgens & conversus ad infirmum dicit:

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te tamen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de Sancto: & de Sion tueatur te:

Tribuat tibi secundum cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: & exaudiat te de cœlo sancto suo. Gloria Patri &c.

Hic ponat manum super caput infirmi dicens:

SUper ægros manus imponent, & benè habebunt.

JE-

JESUS, Mariæ Filius, mundi ſalus & Dominus, meritis & precibus omnium Sanctorum ſuorum ſit tibi propitius & reſtituat te priſtinæ ſanitati, Amen.

Bene † dicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus † faciem tibi, & miſereatur tui. Convertat Dominus † vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Benedicat tibi Dominus, & liberet te ab omnibus malis, Amen.

Hic aſpergat eum aquá benedicta dicens:

PEr aſperſionem pretioſiſſimi ſanguinis Domini noſtri Jesu Chriſti, & per virtutem amariſſimæ Paſſionis & mortis ſuæ purificet Dominus animam tuam ab omni macula, & liberet te ab omni tentatione Diabolica. In nomine Patris, † & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Hic Sacerdos infirmum hoc modo alloquatur.

DIlecte Domine, cùm jam dulciſſimum Jeſum ſuum perſonaliter in corde ſuo contineat: invocet ergo eum fiducialiter, & proponat ipſi neceſſitates ſuas, unà mecum dicendo.

O Mi amantiſſimæ Jesu, adoro, ſaluto & veneror te: tibique toto cordis mei affectu gratias ago, quòd ad me miſerrimum venire dignatus ſis. Cùm igitur te perſonaliter in corde meo contineam, hinc eo fiducialius te invocabo, ſummamque miſeri-

riam meam indicabo. Ecce hîc jaceo coram te, ſicut Hydropicus ille Evangelicus, corpore & anima infirmus: atque cum eadem fiducia, quâ ille te invocavit, invoco te, ut miſerearis mei. Dic ergo mihi, ſicut dixiſti illi: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* O mi dulciſſime Jesu, ſi mihi illam præſtares gratiam, æternaliter tibi deſuper gratus forem. Præſta mihi igitur hanc miſericordiam & per ſumptionem hujus efficaciſſimi Sacramenti libera me ab infirmitate mea. Si verò idipſum mihi non foret ſalutare, ſaltem ſana animam meam majori infirmitate gravatam. Conforta eam per virtutem hujus diviniſſimi Sacramenti, contra omnes tentationes & incurſus Satanæ; & ſit mihi hujus ſacratiſſimi Viatici ſumptio, digna præparatio ad iter æternitatis ingrediendum. Sacer ſanguis tuus, quem ſumpſi, abluat animam meam ab omni macula: & divina caro tua, quam guſtavi, confortet me in tua gratia. Vt deinceps totus tibi vivam, & tuam miſericordiam vivus & moriens ſemper obtineam, Amen.

Demum Sacerdos cum Ciborio det infirmo benedictionem animæ, nihil dicens: & reverenter illud deferens dicat Pſalm. Laudate Dominum de cœlis.

In

In Ecclesia posito Sacramento super Altare genuflexus dicat:

℣. *Panem cdecælo præstitisti eis.*

℟. *Omne delectamentum in se habentem.*

Oremus.

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti : tribue quæsumus, ita nos corporis & sangvinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis.

Surgens det cum Sacramento benedictionem populo, nihil dicens.

De extrema Vnctione vide in Rituali Sacram. à pag. 47. usq; ad pag. 53. inclusivè.



TESTAMENTUM ANIMÆ.

Hoc testamentum est valde efficax, cùm contineat Exercitium præcipuarum virtutum. Ideo non solum ab ægris, verùm etiam à sanis sæpius cum devotione recitari deberet.

In Nomine Patris, ✠ & Filij, & Spiritus Sancti, Am.

CUm ego miserrimus peccator de morte certus, de qualitate autem ejus incertissimus sim : idcirco in præsenti, dum mihi adhuc plenè compos sum, tecum, o mi Deus, transigere intendo, qualiter vivere & mori desiderem. Et hoc tam serium opus, à quo magna pars salutis meæ pendet cum vir-

virtute & efficacia cordis Domini mei Jeſu Chriſti perficere; tamque firmum Teſtamentum coram te Deo meo condere deſidero, quod nullà arte Diaboli enervari aut invalidari queat, Amen.

Igitur

O Beatiſſima Trinitas, Pater & Filius, & Spiritus S. in optima forma veri Teſtamenti, lego & cõſigno tibi corpus & animam meam : ita ut deinceps verum tuum mancipium efficiat, & quidquid egero & lucratus fuero, ad majorem tuam gloriam redundare debeat.

Profiteor & agnoſco, quòd toto decurſu vitæ meæ plurima à te bona acceperim : pro quibus omnibus & ſingulis maximas tibi habeo gratias ; & in condignam gratitudinem omnes laudes cordis & oris Jesu Chriſti tibi offero.

Profiteor etiam & agnoſco, quòd toto tempore vitæ meæ negligentiſſimè vixerim. tibique Deo meo plurimas injurias irrogaverim : de quibus ex toto corde meo doleo, atque enixiſſimè veniam deprecor.

✠ In remiſſionem peccatorum, & ſatisfactionem pœnarum debitarum, offero tibi totam ſeriem ſacratiſſimæ vitæ & amariſſimæ Paſſionis Domini noſtri Jesu Chriſti : unà cum omnibus meritis & ſatisfactionibus omnium Sanctorum tuorum.

Fir-

Firmissimè mihi propono, deinceps peccata & peccandi occasiones vitare: ubique Deo meo cum omni fervore cordis mei fideliter deservire.

Omnibus & singulis, qui mihi unquam aliquã injuriam irrogarunt, amore tui integerrimè condono: & ab omnibus, quos verbis & factis læsi, humillimè veniam deprecor.

In tua vera fide, firma spe, & perfecta charitate vivere & mori desidero: & ab his nullâ tentatione Diabolicâ me avelli permittam.

Omnes & singulos fidei articulos credo & confiteor, sicut S Mater Ecclesia illos credit & profitetur. Et in hac vera fide vivere & mori desidero: potiusque vitam meam perdere, quam vel unicum fidei articulum abnegare intendo.

Si Diabolus in agone meo in materia fidei me tentaverit, nil aliud ei respondebo, quàm hoc unicum: *Credo quod credit Ecclesia.* Et si fortè huic veræ fidei aliquid contrarium cogitatione, verbo, aut opere acturus essem, idipsum hisce revoco & irrito.

Similiter si Diabolus multitudinem peccatorum meorum mihi proponens, ad desperationem me adducere conaretur, nequaquam ipsi assentiar; sed firmissimè in Divina misericordia, quæ infinities major est peccatis meis confidam.

In Divinam voluntatem me penitus resigno, & nec vivere nec mori cupio, nisi taliter, tamque diu qualiter & quamdiu Divinæ voluntati placuerit.

Profiteor, quòd puro amore Iesu mei mori desiderem, sicut ille amore mei in cruce mortuus est. Desidero quoque sanctissima Sacramenta cum omni devotione suscipere: omniumque Missarum ac bonorum operum, quæ post mortem meam fient, particips fieri.

Animam & Spiritum, ultimumque momentum vitæ meæ, in manus Divinas, & in tutelam B. Mariæ V. omniumque Sanctorum efficacissimè commendo: ipsosque devotissimè deprecor, ut dignentur mihi in agone meo assistere.

Ultima verba mea erunt: *Jesus, Maria, Joseph*, Et si fortè tum corde aut ore proferre non possem; nunc pro tunc devotissimè pronuntio: *Jesus, Maria, Joseph, in manus vestras commendo spiritum meum.*

OBSIGNATIO TESTAMENTI.

NUnc igitur, O beatissima Trinitas, coram te, & coram tota curia cœlesti, confessor & profiteor, quòd omnia, quæ in hoc Testamento continentur, sint mea seria & ultimata volũtas; quodq; desideré hoc meũ Testamentũ validũ & irrevocabile permanere.

manere. Casu quo verò ego ipse cogitatione, verbo aut opere idipsum revocarem: hisce protestor, quòd hæc mea Revocatio nulla, frivola & invalida habeatur. Idcirco supplico tibi, Sancte Joannes Evangelista, regni cœlestis Archi-Cancellarie, ut super hoc Testamento meo publicum Instrumentum perficias, illudque propriæ manus tuæ subscriptione, & vulnerum Christi impressione, sub signes & communias. Sicque subsignatum tuæ custodiæ committo, ut omni tempore SS. Trinitati in contestationem ultimæ voluntatis meæ præsentare valeas. Amen.



DIVERSÆ ORATIONES INFIRMI.

Suspiria Infirmi.

ECce, mi dulcissime Jesu, quàm miserè hic jaceam: quamque gravibus doloribus opprimar.

Est quidem hæc infirmitas mihi valdè tædiosa: attamen amore tui libens eam patiar.

In dulcissimum cor tuum depono omnes dolores meos: & per idipsum offero tibi cordem ad æternam laudem tuam.

Nosti piissime Jesu, quòd modò non multum orare valeam: ideo deprecor te, ut cor tuum divinum hunc defectum meum suppleat.

 Digna-

Dignare, mi dilectiſſime, æterno Patri tuo pro hac infirmitate mea gratias agere; Sicut ei in cruce pro cunctis doloribus tuis regratiatùs es.

Velis quoq; pro me omnes preſſuras meas piiſſimo Patri tuo offerre: ſicut ei cunctas adverſitates tuas in gratiſſimum holocauſtum obtuliſti.

Reſigno me liberrimè in gratiſſimam voluntatem tuam: ſicut tu ipſe in voluntatem paternam teipſum reſignaſti.

Tali intentione deſidero hanc infirmitatem meam perferre, quali tu amariſſimam paſſionem & mortem tuam ſuſtinuiſti.

Tali charitate infirmitatem hanc meam ſuſcipio, quali tu mihi eandem de cœlo transmiſiſti.

Unio dolores meos doloribus tuis: commiſceoque eos doloribus omnium Martyrum tuorum.

Tali amore deſidero pro te pati: quali tu pro me tam multa adverſa paſſus es.

Deſidero tibi hâc ſufferentiâ meâ talem honorem exhibere, qualem tu paſſione tua æterno Patri tuo exhibuiſti.

Utinam pro fide Catholica hæc ſuſtinere deberem, quæ pro peccatis meis ſuſtinere debeo.

Utinam

Utinam hac infirmitate mea cunctos dolores tuos tibi recompensare possem, quos tu pro peccatis meis tam promptè sustinuisti.

Utinam dolores tuos in corpore meo perferre possem, quos tu in tota passione tua pro me pertulisti.

Offero tibi cuncta membra corporis mei, ut ea torqueas juxta gratissimam voluntatem tuam.

Paratus sum tam diu pati, quamdiu tibi placitum fuerit: nec cupio citiùs liberari, quàm tibi benè visum fuerit.

Quidquid patior & passurus sum, amore tui patiar: nec aliam inde quæro mercedem, quàm ut tibi placeam.

Si adaugeas dolores, adauge quoque patientiam: tu enim nosti nimiam meam miseriam.

Da Domine, ut cum gaudio patiar: tibique omni momento novum beneplacitum exhibeam.

Resigno me igitur denuo in gratissimam voluntatem tuam, tuoque corde & ore & intentione dico: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. Amen, Amen.*

Oratio ad Nomen Jesu.

O Piissime Jesu! O dulcissime Jesu! O amabi-

mabilissime Jesu! O Jesu Filii Dei & Mariæ Virginis, miserere mihi miserrimo famulo tuo, sanctissimum nomen tuum affectuosè invocanti Ostende mihi amabilem vultum tuum, & converte ad me mesericordissimos oculos tuos. O misericordissime Jesu, miserere mei. O pientissime Jesu, da mihi gratiam tuam. O benignissime Jesu, condona mihi delicta mea. Per aspersionem pretiosissimi sanguinis tui, purifica immundam animam meam; per merita amarissime Passionis tuæ, remitte mihi debitas pœnas. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne auferas à me: sed propter gloriam nominis tui libera me, & propter bonitatem tuam salvum me fac. O nomen Jesu, nomen dulce. O nomen Jesu, nomen amabile. O nomen Jesu, nomen salutare. Quid enim aliud est Jesus, nisi salvator; & quid aliud est nomen Jesu, nisi nomen salvatoris. Ergo ô Jesu, propter nomen tuum esto mihi salvator & salva me. Ne permittas me perire, quem tam carè emisti: nec tradas æternæ morti, pro quo tam amaram sustinuisti mortem. Miserere mei, ô Jesu, miserere mei! & propter magnam misericordiam tuam, suscipe me in gratiam tuam. O Jesu dilectissime! O Jesu mellitissime! O Jesu cordialissime! O Jesu, Jesu,

Jesu, Jesu, esto mihi Jesus & salva me. Dic animæ meæ: *Salus tua ego sum, & propter Nomen meum protegam te.* Extende perforatas manus tuas ad me, sicut eas in cruce ad omnes pœnitentes peccatores extendisti. Et sicut cœlestis Pater tuus sacretissimum Spiritum tuum suscepit: ita digneris egredientem de corpore spiritum meum suscipere. Amen.

Suspiria ad Jesum.

O Jesu salvator meus O Jesu redemptor meus. O Jesu adjutor meus. O amabilissime Jesu, te diligo ex toto corde, & cupio te diligere super omnia. Quia tu es per omnia amabilissimus, & infinito amore dignissimus. O Jesu amor meus. O Jesu dulcedo mea. O Jesu consolatio mea. Ad te suspiro, ad te ingemisco, ad te corde & ore clamo. Propter temetipsum rogo, miserere mei: pro amore Dei rogo, miserere mei. Ah ne derelinquas me bone Jesu. Ah ne abjicias me pie Jesu. Si tu me derelinquis, verè derelictus sum: si tu me abjicis, verè abjectus sum. Quis enim me suscipiet, si tu me projicis: aut quis mihi gratiam præstabit, si tu eam denegaveris? Nec in cœlo nec in terris quisquam benignior est te: nec inter Angelos & homines quisquam mitior est te. Idcirco toto corde ad te confugio: & omnem spem salu-

tis meæ in te repono. Te præ omnibus Angelis & Sanctis in meum judicem eligo: & à te citiùs quàm ab ullo, misericordiam consequi spero. Modò in tempore misericordiæ imploro misericordiam: ne postmodum in tempore vindictæ mihi eam deneges. Modò es mitissimus atque piissimus: nec ulli verè petenti misericordiam denegas. Ideo toto cordis ac mentis affectu suspiro ad te: & omnibus corporis & animæ viribus clamo ad te: O Jesu fili Dei, miserere mei: O Jesu fili Mariæ, miserere mei. O Jesu fili David, miserere mei, nunc & in hora mortis meæ. Am.

Petitio ad Jesum,

Ut ipse per suam S. Conversationem satisfaciat pro nostris excessibus.

O DEUS piissime, plenus pietate & misericordia, qui nunquam spernis miserorum suspiria: heu deperiit, & sine fructu abiit tota vitæ meæ conversatio, nec quidquam dignè egi in conspectu tuo Domine. Ad te igitur, Jesu mi dulcissime, fiducialiter confugio, tuamque clementiam suppliciter exoro. Tu pro me loquere, tu pro me supple. Tu per puras clarissimorum oculorum tuorum lacrymas ablue omnes peccantium oculorum meorum maculas. Tu per dulcem benedicta-

rum aurium tuarum pietatem dele omnem peccantium aurium mearum iniquitatem. Tu per puram ſanctiſſimarum cogitationum tuarum intentionem dele omnem malarum cogitationum mearum perverſitatem. Tu per piam ſacratiſſimorum verborum tuorum ſuavitatem abſterge omnem polluti oris mei iniquitatem. Tu per operum tuorum perfe-ctionem, manuumq; tuarum crucifixionem remitte omnem impiarum manuum mearum offenſionem. Tu per doloroſam benedicto-rum pedum tuorum fatigationem, diriſſi-mamque perforationem, extingue omnem peccantium pedum meorum maculationem. Tu per vitæ tuæ puriſſimam innocentiam & ſanctitatem annihila omnem corruptæ vitæ meæ fœditatem. Tu demum per pretioſiſſi-mi ſanguinis tui efficacisſimum lavacrum ablue omne cordis & animæ meæ enorme pi-aculum; ut per copioſisſima vitæ tuæ merita ſuppleantur omnia mea demerita, & remit-tantur omnia mea demerita, & remittantur multiſaria mea piacula, Amen.

Tres efficaciſſimæ Orationes pro felici morte.

O Benignisſime Jeſu, quomodo apparebo ante faciem tuam portans iniquitatem meam, & pondus multarum negligentiarum

mearum. Talentum temporis mihi creditum non solùm expendi in vanum, sed prorsus amisi, depravavi & perdidi totum. Væ mihi miserrimo, si tradar tibi, non habens advocatum respondentem pro me. O bone Jesu, ad te confugio, & ad te de profundo cordis mei suspiro. Te responde pro me, tu impetra mihi veniam, ut vivat anima mea ob tui gratiam. Eja amor meus Jesu, qui amore mei captus, & ad injustos judices tractus fuisti, ut imponerentur tibi totius mundi peccata; te accipio hodie in judicii mei comitem, & in causæ meæ tutorem & defensorem. Tu mecum venias ad judicium, & ibidem age meum patrocinium. Tu sis judex & advocatus meus, qui es salvator & redemptor meus. Tu reminiscere quid factus sis pro me, & quàm caro pretio redemeris me. Tu mihi vixisti, ne perirem: tu peccata mea portasti, ne opprimerer: tu pro me obiisti, ne morerer: & tu omnia tua mihi contulisti, ut tuis meritis ditescerem. Igitur in mortis meæ hora judica me secundum illam innocentiam, quam mihi contulisti in te, cùm omne debitum meum solvisti in te, judicatus & ad mortem condemnatus propter me. Amen.

Secun-

Secunda Oratio.

O Suavis bonitas & amabilis Dei miſericordia, eja ſub alis tuis me recipe, ut proteger ab imminentibus malis, quæ timeo pro negligentiis meis multis & magnis. Ecce jam creditor ſtat ad oſtium, repetens à me vitæ meæ depoſitum, & accuſans me ſuper enormitate meorum criminum. O amor meus Jeſu, miſerorum omnium refugium, redde mihi Patrem tuum placatum. Tu qui pro me immiſericorditer ad columnam es alligatus, virgis dirè flagellatus, ſpinis pœnosè coronatus, & à lictoribus probrosè ſalutatus, digneris eſſe meus Patronus & Advocatus. Tu amaritudine dolorum tuorum refocilla afflictum meum ſpiritum: & illa amariſſima pacis noſtræ diſciplina, quam tibi Pater impoſuit ob noſtra crimina, perſolvat omnia mea debita. Senſos meos nuge glorioſiſſimi corporis tui cruore, eorumq; maculas abſterge ſacrorum ſenſuum tuorum dolore. Pientiſſimiq; cordis tui exercitium, ſit totius culpæ meæ operimentum, & omnium negligentiarum mearum ſupplementum: ut quidquid mihi deeſt in me, id omne habeam in te, qui te totum impendiſti pro me. Amen.

Oratio Tertia.

O Dulcis Dei pietas & desiderata benignitas, quæ omnibus expandis gremium, omniumq; pauperum es refugium. Commissa mea vehementer expavesco, omissa mea valde erubesco, deperditionemq; vitæ meæ nimis pertimesco. Futuram timeo illam discussionem, quâ tu Deus meus mecum positurus es rationem. Si à me volueris exigere temporis mei depositum, prorsus nullum dignum invenio responsum. Quid potero igitur melius facere, quàm tuam clementiam devotè implorare. Eja ergo amor meus Jesu, qui pro me injustæ morti es adjudicatus, gravissimâ cruce oneratus, ad ipsam crucem dirissimè conclavatus, felle & aceto inhumaniter potatus, & demum amarà morte sanciatus, digneris mihi esse clemens & propitius, & propter dolorosam passionem tuam Judex benignus. Tu dedisti animam tuam pro anima mea, vitam tuam pro vita mea, & mortem tuam pro morte mea. Tu te in cruce Deo Patri obtulisti, & adhuc quotidie ad altara offers sacrificium, quod excedit omne meritum, & abundanter valet solvere omne meum debitum. Eja per hoc Sacramentum vitam meam innova, & in centuplum restitue omnia mea deperdita. Tuâ pietate omnes

mnes meas iniquitates dele, tua charitate omnia peccata mea cooperi, & tua dilectione neglecta mea supple. Fac me totum talem, qualem me esse vis & desideras: & in mortis meæ hora aperi mihi benignissimi cordis tui ostium, ut per te ingredi merear amoris tui thalamum, ubi fruar & habeam te in sæcula sæculorum. Amen.

Fiducia ad Mariam.

Dilectissima Virgo Maria, ego miserrimus confugio ad te, & per te imploro Divinam bonitatem & clementiam. Succurre obsecro mihi in hac gravi necessitate: & præbe mihi clienti tuo manus auxiliatrices. O Maria adjuva me. O Maria succurre mihi. O Maria intercede pro me. Miserere mihi, ô piissima, miserere mihi: quia multum repleta est anima mea. Repleta est angustiâ, repleta est miseriâ, repleta est omni iniquitate. Deprecor igitur tuam immensam benignitatem, ut me adjuves: nec me miserum nimis derelinquas. O Virgo prædulcissima, post Deum spes mea unica, & auxilium meum es singularissimum. Tantam enim in tua ope posui confidentiam, quod putem impossibile fore me à Deo derelinquendum, si tu pro me estes, meq; in tuam protectionem suscipias. Cor enim Dei in manu tua est, & ad quod volu-

volueris inclinabis illud. Confido igitur in te Domina, & firmissimè confido: & certus ſum, hanc firmam fiduciam meam non futuram inanem. Tibi, ô beatiſſima, commendo animam meam. Tibi? ô piisſima, commendo ſpiritum meum. Tibi, ô dilectisſima, commendo extremum vitæ meæ momentũ. Sicut infans protegitur à genitrice ſua, ſic ſpero me à te protegendum: quia diligo te plus quàm filius matrem, & ſponſus ſponſam ſuam. Tu enim ès mater illa mea dilectiſſima, quam crucifixus Filius tuus mihi dedit in matrem, & me tibi in filium. Quid ergo mihi deeſſe poterit, cùm habeam matrem tam prænobilem: aut quid mihi nocere poterit, cùm habeam matrem tam præpotentem. Eja ergo Mater mea dilectiſſima, Mater mea prædulciſſima, Mater mea cordialisſima: ſuſcipe infirmum filiolum tuum in maternũ ſinum tuum: & curam illius habe, ſicut curam gerit mater unigeniti ſui. Et ſicut mater naturalis defendit & cuſtodit unicum ſuum, ſic tu me defende ab hoſticus meis, quærentibus animam meam. Et in extremo illo mortis articulo, quando ab omnibus amicis meis derelinquendus ſum, tu me clementer ſuſcipe, & per tuam opem felicem mihi finem impetrare digneris. Amen.

Oratio

Oratio ad omnes Sanctos.

O Sancti & electi Dei, qui cum Christo in æterna felicitate regnatis, vos omnes & singulos devotè veneror; & auxilium vestrum pro salute animæ meæ instanter imploro. Angeli, Archangeli, Throni & Dominationes, Principatus & Potestates, Cherubim & Seraphim: Patriarchæ & Prophetæ, Apostoli & Evangelistæ, Martyres & Confessores, Virgines & Viduæ, Sanctique & Beati omnes intercedere dignemini, pro me famulo & cliente vestro. Per amorem Domini nostri Jesu Christi deprecor vos, ut animam meam vestris auxiliis tueri, & è Diaboli faucibus eripere dignemini. Sub vestrum præsidium confugio, ô dilecti amici mei, & vestram intercessionem humiliter imploro: eâdemque instantiâ, quâ vos in hoc exilio positi Sanctorum patrocinium invocastis, & ego quoq; vestrum patrocinium in hoc periculoso vitæ meæ statu animitùs imploro. Respicite miseriam meam magnam quâ involvor: & considerate periculum illud maximum æternæ damnationis. cui obnoxius sum. Nunquid lex charitatis proximi obligat singulos, ut qui videt quempiam in extrema necessitate positum, eundem pro posse adjuvare teneatur: idcirco pro-

pter

pter charitatem illam, quam mandavit nobis DEUS de proximis nostris, misteremini mei, & exhibede auxilium mihi in extrema necessitate posito. Quoniam ecce alieni insurrexerunt in me, & fortes quærunt animam meam: & quomodo potero laqueis eorum me extricare, nisi vestro auxilio adjutus, Si vos me despicitis, timeo ne & Deus me despiciat: si autem pro me interceditis, certè non despiciet preces vestras Deus. Igitur in manibus vestris sunt sortes meæ: & salus mea juxta vestrum beneplacitum dirigetur. Ne ergo pereat anima illa mea, pro qua Christus mortuus est, & quâcum vos æternùm gaudere desideratis.

Idcirco subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam meam, offerentes eam in conspectu Altissimi: vestrisq; gloriosis meritis & precibus placate districtum judicem Dominum nostrum Jesum Christum. Qui me clementer suscipere, & choris vestris associare dignetur. Amen.

Quinque Litaniæ pro Infirmis aut Agonizantibus.

Sequentes Litaniæ valde utiliter coram & pro Infirmis recitari poterunt, flexis coram imagine Cruci-

Crucifixi genibus. Et siquidem Infirmus adhuc audire & loqui poterit, ipse cum aliis respondeat: Miserere mei; *vel,* Ora pro me; *vel,* Libera me Domine &c. *Si vero auditum amiserit, tunc dicantur hæ Litaniæ à circumstantibus devotâ mente & altâ voce: cunctis simul respondentibus. Dicantur autem per intervalla, pro diversitate Personarum, locorum & temporum. Poterunt etiam ab uno solo dici, sive in præsentia Infirmi, sive in Ecclesia aut in ædibus, cum maximo fructu & solamine infirmi.*

Litaniæ de Nomine Jesu.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus. Miserere ei.
Fili redemptor mundi Deus. Miserere ei.
Spiritus sancte Deus. Miserere ei.
S. Trinitas unus Deus. Miserere ei.
Jesu Fili Dei vivi. Miserere ei.
Jesu Fili Mariæ Virginis. Miserere ei.
Jesu Fili David. Miserere ei.
Jesu gloriosissime.
Jesu nobilissime.
Jesu potentissime.
Jesu benignissime.
Jesu mitissime.
Jesu piissime.

Jesu misericordissime.
Jesu clementissime.
Jesu amabilissime.
Jesu dulcissime.
Jesu suavissime.
Jesu liberalissime.
Jesu fidelissime.
Jesu speciosissime.
Jesu dilectissime.
Jesu clarior sole.
Jesu pulchrior lunâ.
Jesu splendidior stellis.
Jesu pretiosior gemmis.
Jesu Pater pauperum.
Jesu Tutor pupillorum.
Jesu Auxiliator derelictorum.
Jesu Salus infirmorum. *ter.*
Jesu Refugium peccatorum.
Jesu Consolator afflictorum.
Jesu Solamen agnozantium.
Jesu Adjutor morientium.
Jesu Judex mortuorum.
Jesu Rumunerator bonorum,
Jesu Gaudium Angelorum.
Jesu Rex Patriarcharum.
Jesu Inspirator Prophetarum.
Jesu Magister Apostolorum.
Jesu Doctor Evangelistarum.

Jesu Fortitudo Martyrum.
Jesu Exemplar Confessorum.
Jesu Sponse Virginum.
Jesu Corona Sanctorum omnium.
Propitius esto. Parce ei Jesu.
Propitius esto Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo. Libera eum Jesu.
Ab omni peccato. Libera eum.
Ab ira tua. Libera eum Jesu.
Ab omni peccato. Libera eum.
Ab ira tuâ. Libera eum Jesu.
Ab infirmitate sua.
A doloribus suis.
A debilitatibus suis.
Ab angustiis suis.
A tentationibus suis.
Ab impatientia.
A pusillanimitate.
A desperatione.
A spiritu superbiæ.
A dubitatione in fide.
A terrore inimici.
Ab aspectu dæmonum.
A nimio timore mortis.
A subitanea morte.
A mala morte.
Ab æterna morte.
Per mysterium S. Incarnationis tuæ.

Per Adventum tuum.
Per dulcissimam Nativitatem tuam.
Per dolorosam Circumcisionem tuam.
Per Adventum trium Magorum.
Per Oblationem tuam.
Per Fugam in Ægyptum.
Per durum Exilium tuum.
Per Inventionem tuam in templo.
Per sacrum Baptisma tuum.
Per Quadragesimale Jejunium tuum.
Per Prædicationes tuas.
Per Miracula tua.
Per austeram Vitam tuam.
Per Mortificationes tuas.
Per Vigilias tuas.
Per Abstinentias tuas.
Per Orationes tuas.
Per Labores tuos.
Per Defatigationes tuas.
Per crebra Itinera tua.
Per Persecutiones tuas.
Per Irrisiones tuas.
Per Opprobria tua.
Per Lachrymas tuas.
Per Suspiria tua.
Per Patientiam tuam.
Per Humilitatem tuam.
Per diram Passionem tuam.

Per amaram Mortem tuam.
Per ſacra Vulnera tua.
Per pretioſum Sanguinem tuum.
Per triſtem Sepulturam tuam.
Per glorioſam Reſurrectionem tuam.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam.
Per Adventum Spiritus S. Paracleti.
In Dei judicii.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi.
1. Parce ei O Jeſu.
2. Exaudi nos O Jeſu.
3. Miſerere ei O Jeſu.
Jeſu Chriſte audi nos.
Jeſu Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyriel.

Pater noſter, &c. *clarâ voce.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*
℟. *Ex hoc nunc & usque in ſeculum.*
℣. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.* ℟. *Multum eſt enim.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſiſſimum nomen dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti feciſti fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu amabile: dæmonibus verò tremendum atque terribile: per virtu-

virtutem hujus ſacratiſſimi Nominis Jeſu, quod nos indigni ſervuli tui devotiſſimè veneramur, & effectuoſiſſimè invocamus, concede huic infirmo famulo tuo in doloribus ſuis lenimentum, & in tentationibus ſuis confortationem. Omnes quoq; inſidias inimicorum in virtute efficaciſſimi Nominis illius ab eo longè repelle: ut audientes hoc terrificum nomen Jeſu fugiant procul, nec audeant accedere vel moleſtare famulum tuum, ſuper quo invocatum eſt Nomen ſanctum tuum. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Litaniæ de Paſſione Domini.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie el. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus. Miſerere ei.
Fili Redemptor mundi Deus. Miſerere ei.
Spiritus ſancte Deus. Miſerere ei.
Sancta Trinitas unus Deus. Miſerere ei.
Jeſu fili Dei vivi Miſerere ei.
Jeſu fili Mariæ Virginis.
Jeſu fili David. Miſerere ei.
Per ſanctiſſimam vitam tuam.
Per amariſſimam paſſionem tuam.
Per triſtem diſceſſum à Matre tua.
Per triſtem viam in montem Oliveti.
Per triſtitiam animæ tuæ.

Per trinam orationem tuam.
Per cordiales gemitus tuos.
Per amaras lachrymas tuas.
Per imaginationem passionis tuæ.
Per ſanguinem ſudorem tuum.
Per integram reſignationem tuam.
Per Angelicam conſortationem tuam.
Per ignominioſam captivitatem tuam.
Per duram ligationem tuam.
Per proſtrationem in terram.
Per deductionem in civitatem.
Per dejectionem in torrentem Cedron.
Per præſentationem coram Anna.
Per duram alapam tuam.
Per deductionem ad Caipham.
Per injuſtam accuſationem tuam.
Per iniquam condemnationem tuam.
Per fœdam conſpuitionem tuam.
Per pœnoſas alapas tuas.
Per ignominioſas contumelias tuas.
Per arctam incarcerationem tuam.
Per deductionem ad Pilatum.
Per accuſationem coram Herode.
Per illuſionem in aula Herodis.
Per induitionem veſtis albæ.
Per falſas querelas coram Pilato.
Per humile ſilentium tuum.
Per comparationem cum Barraba.

Per inverecundam denudationem tuam.
Per alligationem ad columnam.
Per doloroſam flagellationem tuam.
Per diram lacerationem tuam.
Per effuſionem ſanguinis tui.
Per nimios dolores tuos.
Per lapſum ſubtus columnam.
Per deductionem ad prætorium.
Per iteratam denudationem tuam.
Per induitionem veſtis purpureæ.
Per pœnoſam coronationem tuam.
Per irriſoriam ſalutationem tuam.
Per crebras alapas tuas.
Per oſtenſionem coram populo.
Per poſtulationem ad mortem.
Per injuſtam condemnationem tuam.
Per impoſitionem crucis tuæ.
Per duram ligationem tuam.
Per laborioſam bajulationem tuam.
Per crebros caſus tuos.
Per ſanguineos greſſus tuos.
Per vulnus humeri tui.
Per obvitationem Matris tuæ.
Per nimiam fatigationem tuam.
Per tertiam denudationem tuam.
Per ſummam verecundiam tuam.
Per potum myrrhæ & fellis.
Per decubationem ſuper crucem.

Per perforationem manuum tuarum.
Per extensionem nervorum tuorum.
Per crucifixionem pedum tuorum.
Per effluxionem sanguinis tui.
Per elevationem crucis tuæ.
Per omnes dolores in cruce perpessos.
Per frigus membrorum tuorum.
Per guttas lachrymarum tuarum.
Per effusum sanguinem tuum.
Per septem verba à te prolata.
Per rogationem pro inimicis.
Per misericordiam erga latronem.
Per commendationem matris tuæ.
Per derelictonem à Patre tuo.
Per amaram sitim tuam.
Per fel & acetum tuum.
Per consummationem tuam.
Per commendationem Spiritus tui.
Per amaram agoniam tuam.
Per palpitationem cordis tui.
Per tremorum membrorum tuorum.
Per validum clamorem tuum.
Per inclinationem capitis tui.
Per emissionem Spiritus tui.
Per amarissimam mortem tuam.
Per apertionem lateris tui.
Per effluxionem sanguinis & aquæ.
Per depositionem de cruce.

Per positionem in sinum maternum.
Per compassionem genitricis tuæ.
Per luctum amicorum tuorum.
Per unctionem cadaveris tui.
Per tristem sepulturam tuam.
Per descensionem ad inferos.
In die Judicij.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi.
1. Parce ei Domine.
2. Exaudi nos Domine.
3. Miserere ei Domine.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyriel.

Quinq; Pater noster, *in honorem quinq; vulnerum Christi.* *Clarâ voce.*

℣. *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.*
℟. *Quia per crucem tuam redemisti mundum.*
℣. *Salvator mundi salva nos.* ℟. *Qui per crucem & sanguinem tuum redemisti nos.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus ad victimam duci, atq; conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accu-

accuſari, flagellis cædi, opprobriis vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, cruci affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & acerbisſima morte mori. Per has ſanctisſimas pœnas tuas, quas nos indigni recolimus, & per ſanctam crucem & mortem tuam rogamus te piisſime Domine, ut huic famulo tuo in extrema necesſitate ſua ſuccurrere, & in doloribus ſuis patientiam largiri digneris. Libera quoq; eum de pœnis & cruciatibus inferni: & perduc eum quo perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum.

Litaniæ Lauretanæ.

KYrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie el.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus. Miſerere ei
Fili redemptor mundi Deus. Miſerere ei.
Spiritus ſancte Deus. Miſerere ei.
Sancta Trinitas unus Deus. Miſerere ei.
Sancta Maria. Ora pro eo.
S. Dei genetrix. Ora pro eo.
S. Virgo virginum. Ora pro eo.
Mater Chriſti. Ora pro eo.
Mater divinæ gratiæ.
Mater purisſima.

Mater castissima.
Mater inviolata.
Mater intemerata.
Mater amabilis.
Mater admirabilis.
Mater Creatoris.
Mater Salvatoris.
Virgo prudentissima.
Virgo veneranda.
Virgo prædicanda.
Virgo potens.
Virgo clemens.
Virgo fidelis.
Speculum justitiæ.
Sedes sapientiæ.
Causa nostræ lætitiæ.
Vas spirituale.
Vas honorabile.
Vas insigne devotionis.
Rosa Mystica.
Turris Davidica.
Turris eburnea.
Domus aurea.
Fœderis arca.
Janua cœli.
Stella matutina.
Salus infirmorum. *ter.*
Refugium peccatorum. *bis.*

Conſolatrix afflictorum. *bis.*
Auxilium Chriſtianorum.
Regina Angelorum.
Regina Patriarcharum.
Regina Prophetarum.
Regina Apoſtolorum.
Regina Martyrum.
Regina Confeſſorum.
Regina Virginum.
Regina Sanctorum omnium.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi.
1. Parce ei Domine.
2. Exaudi nos Domine.
3. Miſerere ei Domine.

SUb tuum præſidium confugimus, ſancta Dei genitrix: noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris: ſed à periculis cunctis libera nos ſemper, Virgo glorioſa & benedicta.

℣. *Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Oremus.

GRatiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde: ut qui Angelo nunciante Chriſti filii tui incarnationem cognovimus, per paſſionem ejus & crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Sub-

Subjungatur ſequens Oratio..

BEatiſſima Virgo Maria, maternæ pietati tuæ commendamus ultimam horam vitæ hujus infirmi : deprecamurq; te per unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut in illa anguſtiâ ſumma eum viſitare & conſolari digneris. Et cùm in eadem hora anima ejus turbata fuerit, tu Domina piiſſima recordaberis miſericordiæ, & venies in adjutorium ejus. Dignaberis quoque liberare animam ejus ab ira & indignatione Filii tui, & à confuſione atque damnatione perpetua. Ut tua interceſſione è graviſſimis illis periculis eruta, laudes perpetuas tibi decantet in gloria cum omnibus cœli incolis, & angelicis choris. Amen.

Litaniæ de B. V. doloroſa.

KYrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie el.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus. Miſerere ei.
Fili Redemptor mundi Deus. Miſerere ei.
Spiritus ſancte Deus. Miſerere ei.
S. Trinitas unus Deus. Miſerere ei.
Sancta Maria. Ora pro eo.
Sancta Dei genitrix. Ora pro eo.
Sancta Virgo virginum.
Mater doloroſa.
Mater contriſtata.

Mater deſolata.
Mater derelicta.
Mater anguſtiata.
Mater lachrymoſa.
Mater gemebunda.
Mater vulnerata.
Mater compasſiva.
Mater infirmata.
Mater afflictisſima.
Propitia eſto. Exaudi nos Domina.
Propitia eſto. Conſerva nos Domina.
Ab omni malo. Libera eum Domina.
Ab omni peccato. Libera eum Domina.
Ab ira Dei. Libera eum Domina.
Ab inſidiis Diaboli. Libera eum.
A tentatione inimici. Libera eum.
Ab aſpectu dæmonum.
Ab anxietate nimia.
A timore noxio.
A dolore vehemente.
A dubitatione in fide.
A ſpiritu blaſphemiæ.
A deſperatione veniæ.
Ab obſtinatione cordis.
Ab improviſa morte.
A mala morte.
Ab æterna morte.
per afflictionem tuam.

Per compassionem tuam.
Per derelictionem tuam.
Per omnes miserias quas sustinuisti.
Per iter ex Nazareth in Bethlehem.
Per denegationem hospitii.
Per diversionem in stabulo.
Per reclinationem filii tui in præsepio.
Per compassionem in ejus circumcisione.
Per gladium Simeonis.
Per fugam in Ægyptum.
Per difficultatem itineris illius.
Per septenne exilium tuum.
Per extremam paupertatem tuam.
Per perditionem Filii tui.
Per anxietates ob eum perpessas.
Per valedictionem tibi datam.
Per acceptum nuntium de ejus captivitate.
Per dolorem quem habebas, dum è domo Caiphæ educi videres.
Per dolorem quem habebas, dum veste alba indutum videres.
Per dolorem quem habebas, dum eum flagellari videres.
Per dolorem quem habebas, dum coronatum videres.
Per dolorem quem habebas, dum à Pilato eductum videres.
Per dolorem quem habebas, dum ad mortem condemnari audires.

Per dolorem quem habebas, dum crucem portare videres.
Per dolorem quem habebas, dum crucem bajulanti occurreres.
Per dolorem quem habebas, dum eum denudari videres.
Per dolorem quem habebas, dum eum crucifigi audires.
Per dolorem quem habebas, dum in cruce elevatum videres.
Per dolorem quem habebas, dum te Joanni commendaret.
Per dolorem quem habebas, dum eum blaſphemeri audires.
Per dolorem quem habebas, dum ſe derelictum clamare audires.
Per dolorem quem habebas, dum ſe ſitientem clamare audires.
Per dolorem quem habebas, dum eum aceto potari videres.
Per dolorem quem habebas, dum ſpiritum Patri ſuo commendantem audires.
Per dolorem quem habebas, dum eum agonizare videres.
Per dolorem quem habebas, dum validè clamantem audires.
Per dolorem quem habebas, dum eum caput inclinare videres.

Per

Per dolorem quem habebas, dum eum mori videres.
Per dolorem quem habebas, dum eum mortuum videres.
Per dolorem quem habebas, dum latus ejus aperiri videres.
Per dolorem quem habebas, dum eum de cruce deponi videres.
Per dolorem quem habebas, dum eum in ſinum tuum collocares.
Per dolorem quem habebas, dum ejus vulnera aſpiceres.
Per dolorem quem habebas, dum eum aromatibus condires.
Per dolorem quem habebas, dum eum ad ſepulchrum ſequereris.
Per dolorem quem habebas, dum eum ſepeliri videres.
Per dolorem quem habebas, dum à ſepulchro recederes.
Per omnes lachrymas quas fudiſti.
Per omnia ſuſpiria quæ edidiſti.
Per omnes puncturas cordis quas ſenſiſti.
Per omnes angores mortis quos ſuſtinuiſti.
Per omnes terrores quos concepiſti.
Per omnes ſudores quos ſudaſti.
Per omnem compasſionem quam habuiſti.
Per omnia deliquia paſſa es.

Per omnes corporis & animæ dolores.
Mater dolorosa. Ora pro eo.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.
1. Parce ei Domine.
2. Exaudi nos Domine.
3. Miserere ei Domine.
Christe audi nos: Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie el.

Quinque Ave Maria.

℣. *Ora pro eo Virgo dolorosissima.*
℟. *Ut dignus efficiatur promissionibus Christi.*

Oremus.

INtterveniat pro eo quæsumus Domine Jesu Christe, nunc & in hora mortis ejus, apud tuam clementiam beatissima Virgo Maria mater tua: cujus sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransivit. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Litaniæ de omnibus Sanctis.

KYrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie el. Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus. Miserere ei.
Fili redemptor mundi Deus. Miserere ei.
Spiritus sancte Deus. Miserere ei.
S. Trinitas unus Deus. Miserere ei.
S. Maria. Ora pro eo.

Sancta Dei genitrix. Ora pro eo.
S. Virgo virginum. Ora pro eo.
S. Michaël. Ora pro eo.
S. Gabriel. S. Raphael.
Omnes SS. Angeli & Archangeli. Orate.
Omnes SS beatorum Spiritum Ordines.
S. Joannes Baptiſta. Ora pro eo.
S. Abraham. S. Iſaac.
S. Jacob. S. Moyſes.
S. Samuel. S. David.
S. Ezechia. S. Joſia.
S. Iſaia. S. Jeremia.
S. Ezechiel. S. Daniel.
S. Elia. S. Eliſæe.
S Joachim. S. Simeon.
Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ.
S. Petre. S. Paule.
S. Andrea. S. Jacobe.
S. Joannes. S. Thoma.
S. Jacobe. S. Philippe.
S. Bartholomæe. S. Matthæe.
S. Simon. S. Thadæe.
S. Matthia. S. Barnaba.
S. Luca, S. Marce.
Omnes SS. Apoſtoli & Evangeliſtæ. Orate.
Omnes SS. Diſcipuli Domini. Orate.
Omnes ſancti Innocentes. Orate.
S. Stephane. S. Laurenti.

S. Vin-

S. Vincenti. S. Sebaſtiane.
S. Corneli. S. Blaſi.
S. Cypriane. S. Georgi.
S. Apollinaris. S. Cyriace.
S. Vite. S. Euſtachi.
S. Mauriti. S. Criſpine.
S. Damiane. S. Chryſanthe.
S. Dionyſi. S. Achati.
Omnes ſancti Martyres. Orate pro eo.
S. Sylveſter. S. Gregori.
S. Ambroſi. S. Auguſtine.
S. Hieronyme. S. Martine.
S. Nicolae. S. Chryſoſtome.
S. Athanaſi. S. Baſili.
S. Norberte. S. Bonaventura.
Omnes SS. Pontifices & Confeſſores.
Omnes ſancti Doctores. Orate pro eo.
S. Joſeph. S. Antoni.
S. Benedicte. S. Bernarde.
S. Dominice. S. Franciſce.
S. Bruno. S. Roche.
S. Henrice. S. Ludovice.
S. Ignati. S. Xaveri.
S. Thoma de Aquino. Ora pro eo.
S. Antoni de Padua. Ora pro eo.
S. Petre de Alcantara. Ora pro eo.
Omnes ſancti Sacerdotes & Levitæ. Orate.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ. Orate.

S. Anna. S. Maria Magdalena.
S. Agatha. S. Lucia.
S. Agnes. S. Cæcilia.
S. Catharina. S. Barbara.
S. Margaretha. S. Christina.
S. Apollonia. S. Dorothea.
S. Thecla. S. Ursula.
S. Clara. S. Theresia.
S. Rosa. S. Rosalia.
S. Catharina Senensis.
S. Magdalena de Pazzis.
S. Maria Ægyptiaca.
S. Elisabetha. S. Monica.
S. Afra. S. Pelagia.
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei. Intercedite pro eo.
Propitius esto. Parce ei Domine.
Propitius esto. Exaudi nos Domine.
Ab omni malo. Libera eum Domine.
Ab omni peccato. Libera eum Domine.
Ab ira tua. Libera eum Domine.
Ab omni impatientia.
Ab omni tædio.
Ab omni murmuratione.
Ab omni mala voluntate.
Ab omni indevotione.
A nociva tristitia.

A ni-


A nimia anxietate.
A nimio horrore mortis.
A nimia pusillanimitate.
A noxia præsumptione.
A dubitatione in fide.
A spiritu blasphemiæ.
Ab obduratione cordis.
Ab impœnitentia.
A desperatione.
A gravi tentatione.
Ab insidiis Diaboli.
A terrore inimicorum.
Ab aspectu Dæmonum.
A nimiis doloribus.
A subitanea morte.
A mala morte.
A morte perpetua.
Per infinitam misericordiam tuam.
Per omnes misericordias infirmis impensas.
Per amorem, quo nostras infirmitates portasti.
Per omnia adversa, quæ propter nos sustinuisti.
Per tristitiam tuam in Monte Oliveti.
Per summum horrorem mortis tuæ.
Per sanguineum sudorem tuum.
Per ignominiosam captivitatem tuam.
Per dolorosam flagellationem tuam.

Per diram coronationem tuam.
Per laboriosam bajulationem tuam.
Per pœnosissimam crucifixionem tuam.
Per amarissimam mortem tuam.
Per sacra quinque vulnera tua.
Per pretiosissimum sanguinem tuum.
Per amarissimas lacrymas tuas.
Per gravissimos dolores tuos.
Per intercessionem dilectæ Matris tuæ.
Per merita omnium Sanctorum tuorum.
Per zelum Apostolorum tuorum.
Per pœnas omnium Martyrum.
Per prædicationes omnium Pontificum.
Per virtutes omnium Confessorum
Per austeritates omnium Religiosorum.
Per abstinentias omnium Eremitarum.
Per contritionem omnium pœnitentium.
Per castitatem omnium virginum.
Per humilitatem omnium viduarum.
Per probitatem omnium conjugatorum.
Per virtutes omnium Electorum.
In die judicii. Libera eum Domine.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas. Te rogamus audi nos.
Ut ei indulgeas. Te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam eum perducere digneris.
Ut cordis compunctioné ei donare digneris.

Ut

Ut veram contritionē ei infundere digneris.
Ut indulgentiam omnium peccatorum ei largiri digneris.
Ut pœnas peccatorū ei condonare digneris.
Ut tentationes diabolicas ab eo repellere digneris.
Ut dolores ejus mitigare digneris.
Ut ei veram patientiam tribuere digneris.
Ut eum in gratia tua conſervare digneris.
Ut conſolationem ſancti Spiritus ei infundere digneris.
Ut dolores & ſuſpiria ejus reſpicere digneris.
Ut infirmitatem hanc ad ſalutem ejus convertere digneris.
Ut eum ab infirmttate hac liberare digneris.
Ut robur contra ſpiritus malignos ei conferre digneris.
Ut eum in fide immobilem conſervare digneris.
Ut eum in ſpe confirmare digneris.
Ut ei charitatem perfectam infundere digneris.
Ut ei in agone ſuo aſiſtere digneris.
Ut ei Matrem tuā in patronam dare digneris.
Ut SS. Angelos tuos in ejus cuſtodiam deputare digneris.
Ut ei felicem finem tribuere digneris.

Ut spiritum ejus in manus tuas suscipere digneris.
Ut ei propitius Judex esse digneris.
Ut eum ad cœlestia gaudia admittere digneris.
Ut ei requiem æternam donare digneris.
Ut nos exaudire digneris.
Fili Dei Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis paccata mundi.
1. parce ei Domine.
2. Exaudi nos Domine.
3. Miserere ei Domine.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie el.



SEPTEM PSALMI INFIRMORUM.

Ex Psalterio excerpti.

Quia valdè utiliter à circumstantibus, dum infirmus agonizat, alternis versibus recitari possunt. Quorum virtute vis Diabolica mirificè infringetur, ne morituro approximare, & tentationibus suis nocere queat. Uti legimus Diabolum in quadam obsessa adjuratum dixisse, quòd ad Carolum V. Rom. Imp. morientem Dæmones accedere non voluerint; eò quòd Religiosi sub ejus agone continuò Psalmos recitaverint. Idcirco obnixè, propter amorem crucifixi, rogantur omnes agonizanti præsentes, ut hos sequentes septem Psalmos recitent, miserumque illum moriturum suâ prece confortent.

Pater

Pater noster. *altâ voce:*

℣. *Sancti Dei omnes intercedere dignemini.*


℣. *Pro hujus infirmi salute.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

PRotege Domine famulum tuum: & Apostolorum tuorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum patrocinio confidenter perpetuâ defensione conserva. Omnes Sancti tui quæsumus Domine, eum fideliter adjuvent, quorum merita & patrocinia super eum confidenter imploramus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.



Tesz

Siedm Psalmow

z łacinskiego na Polskie,

według tłumaczenia

w X. WUYKA Societ. JESU

Theologa

wiernie zebrane.

PSALMUS PRIMUS.

Infirmus conqueritur Deo suam miseriam.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.

Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.

Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ.

Anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum. Re-

PSALM. I.

Chory uskarza się przed Bogiem na swoje utrapienie.

PAnie nie w zapalczywości twey strofuy mię: ani w gniewie twoim karz mię.

Zmiłuy się nademna Panie bom ći chory: uzdrow mnie Panie bo strwożone są kości moje.

I duβa moja strwozona jest bardzo: ale ty Panie pukiβ mię opuβczaβ.

Pracowałem w płaczu moim, będę omywał na kazda noc łozko moje: łzami mojemi będę polewał pośćiel swoję.

Abowiem ustał od załośći żywot moy: y lata moje od wzdychania.

Niemaβ zdrowia w ćiele moim dla gniewu twego: niemaβ pokoju kośćiom moim dla grzechow moich.

Jestem utrapiony y bardzo uniżony: ryczalem od wzdychunia serca mego.

Ogarnely mię bolesći śmierći: y strumięnie nieprawośći zatrwożyty mię.

Boleśći piekielne obtoczyly mię: uprzedziły mię sidła śmierći.

Serce moje zatrwożyło się we mnie: y strach śmierci przypadł na mię.

Bojazn y drzenie przyβły na mię: y okryły mię ciemnośći.

Zfrasował się w mię Duch moy: Serce moje we mnie się strwożyło.

Weyrzy

Respice in me miserere mei: quia unicus & pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

Gloria Patri & Flio. &c.

PSALMUS SECUNDUS.

Infirmus accusat se de peccatis suis.

VOce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me

Complaceat tibi Domine ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Weyrzy na mię a zmiluy się nademna: bom ja jest jedyny y ubogi.

Udręczęnia serca mego rozmnozyły się: wyrwize mię zpotrzeb moich.

Chwała Oycu y Synowi, &c.

PSALM. II.

Chory daje się winnym z grzechow swoich.

Głosem moim wołałem do Pana: głosem moim modliłem się Panu.

Wylewam przed oblicznośćia jego prozbę moję: a utrapięnie moje przed nim opowiadam.

Wyznam przeciwko sobie niesprawiedliwość moję Panu: á tyś odpuśćił niezbozność grzechu mego.

Nieprawośći moje przewyßyły głowę moje: á jako brzęmię ćięßkie obciazyły się nademna.

Obroczyły mię kłopaty, ktorym niemaß liczby: poymały mię nieprawośći moje ktorychem nie mogł przeyrzec.

Rozmnożyły się nad włosy głowy mojey: y serce moje opuśćiło mię.

Niechci się podoba Panie abyś mię wyrnał: Panie ku ratunkowi memu weyrzey.

Abowiem ja znam nieprawość moję: y grzech moy jest zawżdy przedemna.

Tobie

Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.

Ego dixi, Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccavi tibi.

Repleta eſt malis anima mea: & vita mea inferno appropinquavit.

Erravi ſicut ovis quæ periit: quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

Deus vitam meam annuntiavi tibi: poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injuſtitiam meam non abſcondi.

Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.

Gloria Patri & Filio, &c.

PSALMUS TERTIUS.

Infirmus petit ſibi ignoſci peccata ſua.

MIſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Aſperges me hyſſopo & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Averte

Tobie samemu z grzeſʃyłem, y złość przed tobą uczynił: abyć ſię ty uſprawiedliwił w ſłowach twoich, á żebyś zwyciężył gdy ſię poſadzają.

Jam rzekł Panie zmiłuy ſię nademną: uzdrow duſʃę moje, bom ći grzeſʃył tobie.

Duſʃá mojá pełna jeſt ućiſkow: á żywot moy przybliżył ſię do piekła.

Błądziłem jako owca ſtracona: ſʃukay sługi twego bom niezapomniał przykazania twego.

Boże żywot moy obiawiłem tobie: położyłeś łzy moje przed oblicznośćią twoją.

Grzech moy oznaymiłem tobie: y nieſprawiedliwośći mojey niekryłem.

Wyſłuchay mnię Pánie, bo dobre jeſt miłośierdzie twoje: według mnoſtwa litośći twoich weyrzy ná mię.

Chwała Oycu y Synowi, &c.

PSALM. III.

Chory proſi áby mu były odpuſʃczone grzechy jego.

Zmiłuy ſię nademną Boże: według wielkiego miłośierdźia twego.

A według mnoſtwa litośći twoich: zgładź nieprawość moję.

Jeſʃcze więcey omyi mię od nieprawośći mojey: y od grzechu mojego oczyść mię.

Pokropiſʃ mię Hizopem, á będę oczyśćiony: omyjeſʃ mię, á będę nad ſnieg wybielony.

Odwroć

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me: & ab alienis parce servo tuo.

Delicta juventutis meæ: & ignorantias meas ne memineris Domine.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit.

Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte universa delicta mea.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.

Quoniam tu Domine suavis & mitis: & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia & veritas tua semper susceperunt me.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Gloria Patri & Filio, &c.

PSAL-

Odwroć obliczę twoje od grzechow moich: á zgładź wßytkie nieprawośći moje.

Serce czyste stworz we mnie Boże: á Duchá prawego odnow we wnętrznośćiach moich.

Występki ktoß wyrozumie, od skrytych grzechow moich oczyść mię: y od cudzych wybaw sługę twego.

Grezechow młodośći mojey: y niewiadomośći moich nie racz pamiętáć

Jezli nieprawośći uwazáć będźieß: Pánie, Pánie á ktoß śię zostoi?

Weyrży ná unizenie moje, y ná pracę moję: á odpuść mßytkie grzechy moje.

Dla Imienia twego Pánie będźieß miłośćiw grzechowi mojemu: boć jest wielki.

Abowiem tyś Pánie słodki y ćichy: y wielce miłośierny ku wßytkim ktorzy ćię wzywáją.

Niewchodź do sadu z sługa twoim: ábowiem nie usprawiedliwi śię przed toba żaden żywy.

A ty Pánie nie oddalay zmiłowánia twego odemnie: miłośierdźie twoje y prawdá twojá zawzdy mię ogarnęły.

Uczyń ze mna znak ku dobremu ábywierzyli ći ktorzy mię nie nawidza: á byli zawstydzeni y żes ty Pánie rátowал mię y poćießyłes mię.

Chwała Oycu y Synowi &c.

PSALMUS QVARTUS.

Infirmus petit exaudiri orationem suam.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem & in domum refugii: ut salvum me facias.

Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ: Rex meus & Deus meus.

Quoniam ad te orabo: Domine mane exaudies vocem meam.

Inclina aurem tuam & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus salutis meæ.

Deus in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua libera me.

Reminiscere miserationum tuarum Domine: & misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt.

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

Eripe me de luto, ut non infigar: libera

PSALM. IV.

Chory prośi o wysłuchánie modlitwy swojey.

PAnie wysłuchay modlitwę twoję: á wołanie moje do ćiebie niech przyidźie.

Nakłoń ku mnie ucha twego: pospieβ się abyś mię wyrwał.

Badź mi Bogiem, obronca: y domem ućieczki abyś mię wybawił.

Słowa moje usłyβ Pánie: wyrozumiey wołanie moje.

Wysłuchay głos modlitwy mojey: o Krolu moy, o Boże moy.

Bo się tobie modlić będę: Pánie ráno wysłuchaβ głos moy.

Nakłoń Pánie ucha twego: á wysłuchay mię bom ći ja jest nędzny y ubogi.

Nie opuβczay mię Pánie Boże moy: nie odstępuy odemnie.

Przybadź ná ratunek moy: Pánie Boże Zbawienia mego.

Boże w Imię twoje zbaw mię: á w mocy twojey wybaw mię.

Wspomniey ná miłośierdźie twoje Pánie: y ná zmiłowania twoje, ktore sa od wieku.

Według miłośierdźia twego pomni ná mię: y dla dobroci twey Pánie.

Wyrwi mię zbłota, ábych nie ulgnał: wybaw

me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Convertere Domine & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Cuſtodi me Domine ut pupillam oculi: ſub umbra alarum tuarum protege me.

Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me & enutries me.

Educes me de laqueo hoc quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.

Gloria Patri & Filio, &c.

PSALMUS QVINTUS.

Majori inſtantiâ Infirmus petit exaudiri.

USquequo Domine obliviſceris me in finem: uſquequo avertis faciem tuam à me.

Quamdiu ponam conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem.

Uſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice & exaudi me Domine Deus meus.

Exur-

mię od tych, ktorzy mię nie nawidzą y zgłęboKośći wod.

Nawroć śię Pánie á wyrwi duszę moję: wybaw mię dla miłośćierdzia twego.

Strzeż mię jáko zrzęnice oka: pod ćieniem skrzydeł twoich obroń mię.

Ale ty Pánie nie oddalay odemnie wspomożenia twego: weirzy ná obronę moję.

Abowiem tyś jest moc moja y ućieczka moja: á dla imienia twego poprowadziß mię y wychowaß mię.

Wywiedzieß mię z śidła jego, ktore mi zakryli: boś ty jest Obronca moy.

W ręce twoje polecam Duchá mego: odkupiłeś mię Pánie o Boże prawdy.

Chwała Oycu y Synowi, &c.

PSALM. V.

Większym Usiłowaniem,
chory prośi, żeby był wysłuchany.

Dokadze Pánie zapomniß mię do konca: dokad odwracaß oblicze swe odemnie.

Dokad będę rozbierał rady w duszy mojey: frasunek w Sercu moim przez cały dzień.

Pokiß będźie śię podnośił nieprzyjaciel moy nademną: weyrzy á wysłuchay mię Pánie Boże moy.

Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliviſcaris pauperis.

Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti: longè à ſalute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem & non exaudies: & nocte non ad inſipientiam mihi.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi totâ die: lætifica animã ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tribulatio proxima eſt: & non eſt qui adjuvet.

Non avertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.

Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis.

Ut quid Domine repellis orationem meam: avertis faciem tuam à me.

Clamavi ad te Domine totâ die: expandi ad te manus meas.

Attenuati ſunt oculi mei: ſuſpicientes in excelſum.

Intret in conſpectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne

Powstań Pánie Boże niech będźie podnieśiona ręka twoja: nie zapominay ubogiego.

Boże Boże moy weyrzy ná mię czemuś mię opuśćił: daleko od zbawienia mego słowa grzechow moich.

Boże moy wołam wednie á nie wysłuchaß: y w nocy á nie dla głupstwa mego.

Zmiłuy śię nademna Pánie, bo do ćiebie wołam ná każdy dźien: rozweśel dußę sługi twego, bo ku tobie Pánie podnoßę dußę moję.

Abowiem utrapienie bliskie jest: á niemaß ktoby ratował.

Nie odwracay oblicza twego odemnie: boć będę podobnym wstępujacym do dołu.

Wysłuchay mię prędko Pánie: Duch moy ustał.

Wysłuchay prośbę moję: bom ći uniżony barzo.

Preczże Pánie odrzucaß modlitwę moję: odwracaß oblicze twe odemnie.

Wołałem ku tobie Pánie ná każdy dźien: wyćiagałem do ćiebie ręce moje.

Wyćiagnęły śię oczy moje: patrzac ná wysokość.

Niechay modlitwá mojá przyidźie przed obliczność twoję: nakłoń ucha twego ku prośbie mojey.

Wysłuchay głos prośby mojey, gdy śię modlę tobie: gdy podnoßę ręce swe ku Kośćiołowi twemu świętemu.

 Nie

Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à servo tuo.

Adjutor meus esto ne derelinquas me: neque despicias me Deus salutaris meus.

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Quæ utilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionem.

Gloria Patri & Filio, &c.

PSALMUS SEXTUS.

Infirmus petit liberari ab hostibus suis.

EXurgat Deus & dissipentur inimici ejus; & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sicut pereant peccatores à facie Dei.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de vivis sanguinum salva me.

Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.

Persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Nie odwracay oblicza twego odemnie: nie odstępuy w gniewie od sługi twego.

Badz pomocnikiem moim, á nie opuszczay mię: áni mię w zgardzay Boże Zbawićielu moy.

Nie odrzucay mię od oblicza twego: y Duchá świętego twego nie bierz odemnie.

Coż zápozytek ze krwi mojey: gdy zstępuję do zkażienia.

Chwała Oycu y Synowi, &c.

PSALM. VI.

Chory prośi żeby był uwolniony od nieprzyjaćioł swoich.

NIech powstanie Bog, á niech się rozproszą nieprzyjaćiele jego: á niech ućiekaja przednim ktorzy go nie nawidzą.

Jáko ustáje dym ták niechay ustaną: jáko się wosk rospływa od ognia, ták niechay znißczeją grzesznicy od oblicza Bożego.

Odstapćie odemnie wßyscy ktorzy niepráwość czynićie: abowiem wysłuchał Pan głos płaczu mego.

Wyrwi mię od nieprzyjaćioł moich Boże moy: y od powstajacych przećiwko mnie, wybaw mię.

Wyrwi mię od tych ktorzy broją niepráwość: y od mężow krwawych wybaw mię.

Boć oto łowili ná duszę moje: rzucili się na mnie możni.

Przesładował nieprzyjaciel duße moję: poniżył ná źiémi żywot moy.

Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam.

Eripe me de manu inimicorum meorum: & à persequentibus me.

Judica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.

Apprehende arma & scutum: & exurge in adjutorium mihi.

Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt: & odio iniquo oderunt me.

Intende animæ meæ & libera eum: propter inimicos meos eripe me.

Ne quando rapiat ut leo animam meam: dum non est qui redimat neque qui salvum faciat.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Domine deduc me in justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Eripe me de inimicis meis, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri &c.

Wyrwi od miecza Boże duſzę moję: á z ręki pſiey jedynaczkę moję.

Wybaw mię z paſzczęki lwiey: á od rogow jednorożcowych uniżenie moje.

Wyrwiże mię z ręki nieprzyjáćioł moich: y od przesladujacych mię.

Oſadz Pánie ſzkodzace mię: zwalcz walczace przećiwko mnie.

Porwi broń y tarcza: á powſtań mi ná pomoc.

Patrz ná nieprzyjaćioły moje boć ſię rozmnożyli: á nienawiśćia nieſprawiedliwa nie nawidzili mię.

Przybliż ſię ku duſzy mojey á wybaw ja: dla nieprzyjáćioł moich wyrwi mię.

By snadz nieprzyjáćiel nie porwał jáko lew duſze mojey: gdy niemaſz ktoby odkupił, áni kto by ja wybawił.

Oświec oczy moje, abych kiedy nie zaſnał w śmierci: aby kiedy nie rzekł nieprzyjaćiel moy, przemogłem go.

Pánie prowadź mię w ſprawiedliwośći twojey: dla nieprzyjáćioł proſtuy przed obliczem twoim drogę moję

Wyrwi mię od nieprzyjáćioł moich: Pánie do ćiebiem ſię ućiekł: naucz mię czynić wola twoję, abowiem tyś jeſt Bogiem moim.

I zagubiſz wſzytkie ktorzy dręcza duſzę moję: boćiem ja sługa twoy.

Chwała Oycu &c.

PSALM.

PSALMUS SEPTIMUS.

Infirmus erigit fiduciam in Deum.

IN te Domine ſperavi, non fundar in æternum: in juſtitia tua libera me.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Deus meus adjutor meus: & ſperabo in eum.

Protector meus & cornu ſalutis meæ: & ſuſceptor meus.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Ego igitur in te Domine ſperavi: dixi Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.

Ad te Domine lavavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam.

Neque irrideant me inimici mei: etenim univerſi qui ſuſtinent te, non confundentur.

Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te: dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Cuſtodi animam meam & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperavi in te.

Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum: ſalvum

PSALM. VII.

Chory podnośi ufność ku Bogu.

W Tobie Pánie ufam niechże nie będę zawstydzon ná wieki: podług sprawiedliwośći twojey wybaw mię.

Będę ćię miłował Pánie mocy mojá: Pan jest twierdza moja y ucieczka moja y wybawiciel moy.

Bog moy wspomożyciel moy: wnim będę ufał.

Obronca moy y rog zbawienia mego: y ktory mię przyimuje.

Czekała ćierpliwie duszá mojá ná słowo jego: ufała dusza mota w Panu.

Bo u Pana jest miłośierdzie: obfite u niego odkupienie.

Jam tedy w tobie ufał Pánie, rzekłem: tyś jest Bogiem moim, w ręku twoich sa losy moje.

Do ćiebie Pánie podnoszę duszę moję: Boże moy w tobie ufam niech się nie zawstydzę.

I niech się nieśmieja zemnie nieprzyjaciele moi: ábowiem wszyscy ktorzy ćię czekaja, nie będa zawstydzeni.

Zachoway mię Pánie, bom ja ufał w tobie: rzekłem Pánu tyś jest Bogiem moim, ábowiem dobr moich nie potrzebujesz.

Strzeż duszе mojey á wyrwi mię: niech się niezawstydzę gdy zem ufał w tobie.

Oświeć twarz twoję nad sługa twoim: zbaw

mię

ſalvum me fac in miſericordia: Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Miſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum ſperabo: donec tranſeat iniquitas.


Dixi Domino ſuſceptor meus es tu & refugium meum: Deus meus ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aſpero.

Dominus adjutor meus & protector meus: in ipſo ſperavit cor meum & adjutus ſum.

Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant juſti, donec retribuas mihi.

Gloria Patri & Filio. &c.



Oblatio.

SUſcipe Sancta Trinitas hanc Pſalmodiam, quam tibi devoto corde pro ſalute hujus agonizantis perſolvimus: & per virtutem verborum illorum, à Spiritu Sancto Pſalmiſtæ tuo dictatorum allevia anguſtias deſolatæ animæ ejus. Conforta eam contra tentationes Diabolicas, & muni eam contra omnem impatientiam. Adauge ipſi fidem, multiplica ipſi fiduciam, & accende in ea

chari-

mię dla miłośierdzia twego: Pánie niech nie będę zawstydzon abowiem wzywałem ćię.

Zmiłuy się nademna Boże, zmiłuy się nademna: ábowiem w tobie ufa duszá moja.

I wćieniu skrzydeł twoich nadzieję mieć będę: aż niepráwość przeminie.


Rzekłem Panu tyś jest obronca moy y ućieczka moja: Bog moy, w ktorym będę ufał.

Abowiem on mię wyrwał z sidła łowiacych: y od przykrego słowa.

Pan jest pomocnik moy y obronca moy: wnim ufało serce moje y ratował mię.

Wywiedz z ćiemnice duszę moję, aby chwaliła imię twoje: ná mię czekaja sprawiedliwi aż mi nád grodźisz.

Chwała Oycu y Synowi, &c.



charitatem. Purifica eam ab omnibus maculis peccatorum: & condona ipsi pœnas delictis ejusdem præparatas. Ut à vinculo terrenæ cogitationis citius soluta, per manus SS. Angelorum tibi Creatori, Redemptori & Salvatori suo pura præsentari, & æternas tibi gratias cum omnibus Sanctis tuis personare mereatur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Suspirium Infirmi.

Taulerus in Exhort, ad felicem mortem num. 4. scribit, cuidam rebelatum esse, neminem periturum, qui moriens sequentia verba cum fiducia pronuntiaverit, aut ab alio prolata cum affectu auscultaverit.

DOmine Deus, ego sum miser ille, quem tu paternà tuâ omnipotentià propter te creâsti: & per ignominiosam mortem unigeniti tui de potestate inimici redemisti: atque per bonitatem Spiritus Sancti in Filium adoptasti. Unde tu solus imperium & dominium in me habes: meque salvare potes, propter immensam misericordiam tuam. In qua spero & confido, quamque devotissimè imploro. Amen.

Instructio ad Infirmarium.

Dum infirmus vergit ad Agonem, infirmarius cogitet, quòd jam maximum periculum damnationis appropinquet: quia Diabolus omnem vim suam exerit, ut eum disperdat. Unde infirmarius omnem quoque vim suam exerat, ut periclitanti animæ succurrat. Quod si non fecerit, & suâ negligentià anima pereat, certè Deus requiret sanguinem illius de manu sua. O quàm multæ animæ salvarentur, quæ æternaliter pereunt, quia in extremo periculo non habuerunt adjuvantem se. Unde meritò talis Agonizans conqueritur cum Psalmista dicens: Quoniam tribulatio proxima est: & non est qui adjuvet. Aperuerunt super meos suum, sicut leo rapiens & rugiens. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.

Præ cæteris summè necessarium est, ut frequenter eum aspergat: quia hoc multum confortat animam.

Est etiam valdè pium & utile, appendere ad collum, vel ponere super pectus infirmi crucem Hispanicam, crucem Thuribicam,

tam, Agnum Dei à Pontifice benedictum, Nomen Jesu scriptum seu impressum, grana S. Joannæ, & coronam Christi seu Rosarium benedictum: quia hæc omnia habent magnam efficaciam contra Diabolum, ejusque noxias tentationes. Si verò infirmus haberet unum vel alterum Nummisma seu imagines aut Rosarium, quæ haberent Indulgentias, illa dentur infirmo in manus, aut si tenere nequeat, ponantur super pectus, & dicatur ei, quòd invocat nomen Jesu & Mariæ ad lucrandas indulgentias.

De Exhibitione Crucifixi.

Detur quoque infirmo crux in manus ad eliciendos affectus compassionis erga Christum. Quia per unum talem affectum disponitur anima ad accipiendam divinam gratiam: ideò sæpiùs danda est ei crux in manus, ad eam deosculandam. Ut autem infirmus majorem efficaciam ab illa accipiat, Sacerdos eandem, si nondum est benedicta, benedicat benedictione infrà in Libello Benedictionum positâ.

Sacerdos præbens crucem infirmo dicat:

Accipe Frater charissime, crucem hanc benedictam, & aspiciendo eam recordare, quanta redemptor tuus pro te passus sit. Osculare sacratissima ejus vulnera, & ad singula dic cum devotione.

Ad vulnus sinistri pedis.

O Mi Jesu crucifixe, exosculor sacrum vulnus sinistri pedis tui: rogans ut propter illud ignoscas mihi peccata mea.

Ad vulnus dextri pedis.

O Mi Jesu crucifixe, exosculor sacrum vulnus dextri pedis tui: rogans ut propter illud ignoscas mihi peccata mea.

Et sic consequenter ad alia vulnera.

Ad imaginem B. Mariæ V.

Porrigatur etiam infirmo statua seu imago B. Virginis, si habeatur:

beatur: ut eam osculando affectus amoris erga eam excitet. Porrigens ergo eandem Sacerdos dicat infirmo:

ECce imaginem B. Mariæ V. dulcissimæ Matris & Patronæ tuæ: osculare ergo eandem dicens:

DUlcissima Virgo Maria, dilectissima Patrona mea: cum omni affectu amoris exosculor te: rogans ut intercedas pro me apud dilectum Filium tuum.

Ad Porrectionem Candelæ.

Piissimus mos est, ut sub Agone detur infirmo candela ardens & benedicta in manus: id quod nequaquam intermitti debet. Si igitur candela non sit benedicta, benedicat eam Sacerdos indutus stolâ, hoc modo.

Benedictio Candelæ.

Adjutorium, &c. Domine exaudi, &c.
Dominus vobiscum.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui dixisti: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: bene✠dicere dignare candelam istam: & infunde ei per virtutem sanctæ Cru✠cis benedictionem cœlestem. Talemque benedictionem signaculo S. Cru✠cis accipiat, ut quibuscunque in locis accensa, aut à quibuscunque infirmis in manibus portata fuerit discedant & contremiscant principes tenebrarum, & fugiant pavidi cum omnibus ministris

ministris suis. Nec præsumant inquietare, molestare aut tentare famulos tuos, qui eam ob honorem tuum in manibus suis gestaverint. Tu Domine, qui es lumen ad revelationem gentium, & illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: digneris illuminare intellectum eorum, qui lumen hoc devotè susceperint: ut cognoscant te solum verum Deum, & Patrem tuum cœlestem: Qui cum eo & Spritu S. vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Porrigendo agonizanti candelam in manus, si adhuc audiat, dicat:

ACcipe Frater charissime, candelam ardentem & benedictam in manus tuas: ut pateat, quòd in vivâ fide velis mori, & venienta dilecto Sponso tuo cum lumpade ardente occurrere. Dic ergo ad eum hæc aut similia verba.

O Mi dulcissime Jesu, qui es lux vera & viva, illumina quæso tenebras meas, ut cognoscam immensam bonitatem tuam. Ut cognoscam abyssalem malitiam meam. Et ut cognoscam fallaces insidias Diaboli Am.

O Domine Jesu Christe, protestor quòd in viva fide mori velim. Protestor quòd in firma spe mori velim. Protestor quòd in ar-

denti charitate mori velim. In ſignum hujus porto hanc candelam ardentem & benedictam in manibus meis.

O Domine Jeſu Chriſte, lumen ardens, lumen illuminans, lumen inflammans; illuſtra me claritate tua: accende me charitate tua: inflamma me dilectione tua. Ut cor meum ardeat amore tuo, & comburatur ardore Spiritus tui. Amen.

Sub Exſpiratione Infirmi.

Quamdiu infirmus adhuc habet auditum, Sacerdos ei aſſiſtens omni diligentiâ conetur, ut conſervet eum in fide, ſpe & charitate. Frequenter etiam ſuggerat ei ſequentes Aſpirationes; aut ſi malit, ſumat illas germanicas, quæ in uſu communi ſunt. Quas infirmus, ſi voluerit & potuerit, ſub ſilentio proferat, aut ſaltem corde ruminet. Aſtantes verò, dum Sacerdos ei in aurem acclamat, continuò orent; dicentes aut ſimul, aut ſolitariè Litanias, aut Præmiſſos ſeptem Pſalmos Infirmorum, aut alias preces: quibus Diaboli vis plurimùm enervatur, & anguſtiata infirmi anima plurimùm refocillatur.

ASPIRATIONES.

Morituro ſuggerendæ.

JEſus Maria. Jeſus Maria. Jeſus Maria.
Jeſu Fili Dei, miſerere mei.
Jeſu Fili Mariæ, miſerere mei.
Jeſu Fili David, miſerere mei.
O piiſſime Jeſu! O mitiſſime Jeſu! O dulciſſime Jeſu!

Jeſu

Jeſu ſuccurre mihi. Jeſu aſſiſte mihi. Jeſu propitiare mihi.
Propter diriſſimam paſſionem tuam miſerere mei.
Propter amariſſimam mortem tuam miſerere mei.
Propter infinitam bonitatem tuam miſerere mei.

Recordare Jeſu pie,
Quòd ſum cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illâ die.
Quærens me ſediſti laſſus,
Redemiſti crucem paſſus,
Tantus labor non ſit caſſus.
Juſte Judex ultionis,
Donum fac remiſſionis,
Ante diem rationis.
Ingemiſco tanquam reus,
Culpà rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.
Preces meæ non ſunt dignæ,
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perenni cremer igne.

Piiſſime Jeſu, recordare obſecro, quanta pro me paſſus ſis.
Recordare ô Jeſu quomodo in cruce pependeris.
Recordare ô Jeſu, quâm amarâ morte mortuus ſis.

Propter illas pœnas tuas miserere mei.
Propter amaram mortem tuam miserere mei.
Propter effusum sanguinem tuum miserere mei.
Credo in te, ô mi Jesu. Spero in te, ô mi Jesu. Diligo te, ô mi Jesu.
Firmissimè credo in te. Firmissimè spero in te. Cordialissimè diligo te.
Diligo te ô Jesu, ex toto corde meo.
Diligo te ô Jesu, ex tota anima mea.
Diligo te ô Jesu, ex omnibus viribus meis.
Amore tui ô Jesu, doleo de peccatis meis.
Quia amo te ô Jesu, ideo doleo de peccatis meis.
Quia tu es dulcis Jesus meus, ideo doleo de peccatis meis.
O utinam mi Jesu, nunquam te offendissem.
O utinam mi Jesu, nunquam peccassem.
O utinam mi Jesu, semper te dilexissem.
Propono firmiter, nunquam amplius peccare.
In æternum non peccare.
In æternum te amare.
Ah ignosce mihi, ô piissime Jesu.
Ah remitte mihi, ô mitissime Jesu.
Ah condona mihi, ô dulcissime Jesu.

Omnia peccata mea demergo in abyssum misericordiæ tuæ: & in cruenta vulnera tua: & in transfixum cor tuum.

Pro ſatisfactione eorum, offero tibi amariſſimam paſſionem tuam, pretioſiſſimum ſanguinem tuum, & infinitam ſatisfactionem tuam.

Confido in bonitate tua, quòd mihi ignoveris: quòd peccata mea deleveris: quòd promeritas pœnas mihi condonaveris.

Amore tui ò Jeſu, libenter moriar.

In honorem mortis tuæ mortem ſuſcipiam.

In gratitudinem paſſionis tuæ libens perferam diros mortis dolores.

O bone Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum.

Suſcipe delores meos.

Suſcipe animam meam.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.

In cor tuum Domine, commendo cor meum.

In mortem tuam Domine, commendo mortem meam.

O Jeſu tibi vivo. O Jeſu tibi morior.

O Jeſu ſis mihi Jeſus, O Jeſu ſis mihi Salvator.

Ad Beatam Virginem.

MARIA Mater gratiæ,
Mater miſericordiæ,
Tu nos ab hoſte protege,
Et horâ mortis ſuſcipe.

Sancta Maria ſuccurre mihi.
Sancta Maria aſſiſte mihi.
Sancta Maria miſerere mihi.

O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria. Illos tuos miſericordes oculos ad me converte, & Jeſum benedictum fructum ventris tui mihi oſtende.

Propter amorem Filii tui, miſerere mei.
Propter amariſſimam mortem ejus, ora pro me.
Recordare ô piiſſima quomodo ſub cruce ſteteris.
Recordare quomodo Filio tuo compaſſa ſis.
Propter illam cordialiſſimam compaſſionem compatere mihi affictiſſimo.

Monſtra te eſſe matrem. Monſtra te eſſe patronam meam: ut intercedas pro me apud ſeverum Judicem.

Dulciſſima Virgo, tu ſcis quia amo te; tu ſcis quia poſt Deum in te pono maximam fiduciam meam.

In te Domina ſperavi, non confundar in æternum.
Recordare ô dilectiſſima, quoties tibi agonem meum commendaverim.
Recordare quoties te rogaverim, ut aſſiſteres mihi: ergo nunc præſta, quod toties rogavi.

In

In manus tuas Domina commendo ſpiritum meum.

In cor tuum piisſimum commendo agonem meum.

S. Joſeph ora pro me.

S. Joannes Evangel. ora pro me.

S. Barbara ora pro me.

Confeſſarius vel Sacerdos morituro aſſiſtens, tempeſtivè eum admoneat, ut quando vox ipſum deſtituerit, capitis nutu vel manus compreſſione ne ſibi indicet, an iterum deſideret ſacramentaliter abſolvi, & tunc ipſum abſolvat, toties quoties, quia quò ſæpius, eo melius.

Generalis Abſolutio,

danda Religioſis in mortis Articulo.

Sciendum, quòd qui hanc Abſolutionem conſequi voluerit, per unum integrum annum (non autem omnibus annis vitæ ſuæ) ſemel in qualibet Hebdomada ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litaniis recitare debeat. Qui autem ex oblivione aut legitimo impedimento eosdem in una aut pluribus ſeptimanis omiſiſſet, in alia ſeptimana, aut aliis ſeptimanis ſequentis anni ſupplere debet. Neſcientes verò legere, illud orent aut faciant, quod Confeſſarii arbitrio illis fuerit injunctum. Ita conceſſit Eugenius IV. & confirmavit Pius II.

Sacerdos ſtolâ violaceâ indutus ſtans dicat:

Miſereatur tui, &c *Indulgentiam, &c.*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus per merita ſuæ ſanctiſſimæ Paſſionis te abſolvat, & gratiam tibi infundat. Et ego auctoritate ipſius, & beatorum

Apoſtolorum Petri & Pauli, ſummique Pontificis mihi in hac parte commiſſa & tibi conceſſa, abſolvo te ab omni vinculo Excommunicationis majoris vel minoris, vel ſententiæ ſuſpenſionis & interdicti: & diſpenſo tecum in omnibus irregularitatibus, ſi quas contrixiſti: & reſtituo te unioni & participationi Fidelium, nec non ſanctis Sacramentis Eccleſiæ. Eádem auctoritate abſolvo te ab omni transgreſſione votorum tui Ordinis, ac Statutorum Papalium, ac Provincialium: Cuſtodialium, Localium & Synodalium quorumcunque. Eádem auctoritate abſolvo te ab omni Officio Divino malè perſoluto, & Horis indebitè transpoſitis vel dimiſſis. Item eâdem auctoritate ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum ex fragilitate humanâ, ignorantiâ vel malitia deliquiſti: concedens tibi remiſſionem & indulgentiam plenarium omnium peccato-

rum

rum tuorum confeſſorum: & cunctorum, de quibus etiam non recordaris, aut oblitus fuiſti: in quantum claves Eccleſiæ ſe extendunt. Item eâdem auctoritate abſolvo te à pœnis Purgatorii, quas pro peccatis commiſſis,& delictis in hoc mundo perpetratis meruiſti: reſtituendo te illi ſtatui innocentiæ, in quo eras, quando baptizatus fuiſti. In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti Amen.

Quodſi hâc vice non diſceſſeris, ſervo tibi hanc gratiam uſque ad extremum mortis tuæ Articulum.

Aſpergat eum Aquâ benedictâ.

Tres Orationes miræ virtutis, â circumſtantibus dicendæ, dum infirmus agonizat.

Dum quidam Papa moriturus, rogaret ſuum Sacellanum, ut has tres Orationes in agone ſuo pro ſe legeret, illeque feciſſet, poſt obitum apparuit ille defunctus dicens, virtute illarum peccata ſua à Chriſto deleta eſſe. Barthol. de Angelis, Ord. Præd. lib. de felici præp. ad mort.

Oratio

Oratio prima.

DOmine Jesu Christe, per agoniam tuam atq; devotissimam illam Orationem, quam in monte Oliveti orasti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: deprecor te, ut eundem sudorem sanguineum, quem per timore mortis tam copiosè fudisti, cœlesti Patri tuo offerre & ostendere digneris contra multitudinem peccatorum hujus infirmi: & velis eum in hora obitus sui liberare ab omnibus angustiis & pœnis, quas pro peccatis suis se timet meruisse Amen.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Pater noster, &c. Ave Maria.

Oratio secunda.

DOmine Jesu Christe, qui pro salute mundi in dura cruce mori dignatus es deprecor te, ut amaritudinem illam, quam in eadem sustinuisti, præsertim quando sacratissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, cœlesti Patri

tri

tri tuo offerre & oſtendere digneris pro peccatrice anima hujus infirmi: eamq; in hora mortis ſuæ liberare velis ab omnibus pœnis & cruciatibus, quos pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Amen.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. Ave Maria.

Oratio tertia.

DOmine Jeſu Chriſte, qui per Prophetam tuum dixiſti: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui: rogo te per amorem illum, qui te de cœlis ad terram ad patiendam omnem miſeriam detraxit, ut eundem cœleſti Patri tuo offerre & oſtendere digneris pro anima hujus infirmi: eamque liberare ab omnibus pœnis & cruciatibus, quos pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Adſis ei pie Jeſu in hac hora mortis ſuæ, aperi ei januam vitæ, & perduc animam ejus in paradiſum exultationis: ubi te laudet per infinita ſæcula. Amen.

Kyrie

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Pater noster. Ave Maria.

Sub Agone Infirmi.

Circumstantes non stent otiosi, sed continuò pro eo orent, dicentes suprà positas Litanias & Psalmos alternis Choris. Sacerdos autem vel Infirmarius subinde inclamet suavi voce unum pium suspirium: licet agonizans putetur perdidisse auditum. Sæpè enim morientes audiunt, licet nullo signo exteriori indicare valeant.

Nequaquam autem debent omitti preces pro commendatione animæ ab Ecclesia ordinatæ: quia illæ sunt efficacissimæ, & super quolibet agonizante, si morbus non sit contagiosus, dici debent: uti pluribus indicat, & Parochis inculcat Agenda Romana. Preces autem illæ idcirco hic omissæ sunt, quia omnibus sunt obviæ, & in omnibus Agendis, Breviariis & Diurnalibus habentur.

Valde etiam utile est, infirmum sæpè à Sacerdotibus benedici, cùm benedictiones Sacerdotales magnam habeant efficaciam. Placeat ergo Sacerdoti Benedictiones illas, infrà in Libello Infirmorum positas, usurpare, & frequentius super infirmum, tam ante quam sub agone, pronuntiare.

IN EXSPIRATIONE

ipse moriens, si potest, dicat: aut ei assistens clarâ voce pronuntiet:

JEsus Maria. Jesus Maria. Jesus Maria.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Domine Jesu suscipe spiritum meum.

Sancta Maria ora pro me.

S. Joseph ora pro me.

S. Barbara ora pro me.

Jesu Fili Dei, miserere mei. Jesu Fili Ma-

riæ, miserere mei. Jesu credo in te. Jesu spero in te. Jesu diligo te. Jesu tibi vivo. Jesu tibi morior.

O bone Jesu esto mihi Jesus.

Egressâ animâ statim dicatur Respons.

SUbvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi Suscipiat te Christus, qui vocavit te: & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. Requiem æternam dona ei Domine. Et lux &c. Offerentes eam in conspectu Altissimi. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Pater noster.
Et ne nos inducas.
Requiem æternam, &c.
A porta inferi.
Erue Domine animam ejus.
Requiescat in pace.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat:

vat: & quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commiſit, tu veniâ miſericordiſſimæ pietatis tuæ clementer abſterge.

DOmine Jeſu Chriſte Rex gloriæ, libera animam famuli tui de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eam de ore leonis, ne abſorbeat eam tartarus, ne cadat in obſcurum; ſed ſignifer S. Michaël repræſentet eam in lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini ejus. Gemitus & preces tibi Domine offerimus, tu ſuſcipe pro anima illa, quæ modò de hac vita migravit. Fac eam Domine de morte tranſire ad vitam illam, quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini ejus. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Requiem æternam.
Requieſcat in pace.
Quinque *Pater noſter & Ave Maria.*

FINIS
LIBRI INFIRMORUM.

Sequitur
LIBELLUS BENEDICTIONUM.

(o)

LIBELLUS BENEDICTIONUM ET EXORCISMORUM,

COLLECTORE

R. P. MARTINO COCHEM,

CAPUCINO,

Ex Rituali Romano, Agenda Moguntinensi, aliisq; probatis & approbatis Autoribus.

Ad commodiorem usum adjectum est

RITUALE FRANCISCAN.

Fr. BERNARDI SANNIG,

ORD. S. FRANCISCI REFORM.

diu & vehementer hactenus desideratum.

Omnia ad praxin & ordinem tam Ecclesiasticorum quam Regularum Sacerdotum.

MANUALI FORMA

editum.

THORUNII,

Ex Officina JOH. CHRIST. LAURERI

M DC XCI.

PRÆFATIO ad Sacerdotes.



ADmodum Reverendi observandissimi Domini: Prodit hic Libellus Benedictionum unà cum R. P. Sannig diu & vehementer hactenus desiderato Rituali Franciscano, ad usum vestrum, & utilitatem plebis Christianæ: quia non dubito, quin per frequentem usum ejusdem plurima à fidelibus mala depellenda, & maxima bona impetranda sint. Benedictio enim Sacerdotalis impertita creaturis, & maledictio ejusdem fulminata contra maleficos & noxias bestias maximæ sunt efficaciæ & virtutis: eo quod Sacerdotes in Ordinatione sua à Deo & Ecclesia plenariam acceperint potestatem benedicendi: consequenter etiam maledicendi, cum contrariorum eadem sit ratio.

Quod autem creaturæ tam sensibiles quàm insensibiles capaces sint benedictionis & maledictionis, ex variis sacræ Scripturæ locis apertè docemur. In creatione enim cœli & terræ benedixit Deus tam irrationabilibus quàm rationabilibus creaturis: & post Diluvium benedixit Deus Noë, (Gen. 9. 1.) Abrahæ, (Gen. 14. 19.) Isaaco, (Gen. 25. 1.) Jacob, (Gen. 31. 9.) & diversis aliis: & quis negaverit virtute benedictionis illius divinæ, singulare aliquod bonum iis advenisse. Post peccatum verò Adæ maledixit Deus terræ, (Gen. 3. 17.)

ſerpenti, (v. 14.) Caino, (Gen. 4. 11.) imò & noſtris protoparentibus. Quantum verò mali maledictio illa ſecum advexerit, indies experiendo ingemiſcimus.

Chriſtus verò in humanis agens, perſæpe uſus eſt tam benedictionis quàm maledictionis poteſtate. Benedixit enim quinq; panes in deſerto & duos piſces: & iterum aliâ vice benedixit ſeptem panes & paucos piſciculos. Quantum verò vigoris per divinam illam benedictionem ſortiti ſint, ſaturatio illa miraculoſa tam multorum millium hominum abundè teſtatur. Benedixit quoq; in ultima cæna panem & vinum, & virtute benedictionis & conſecrationis illius convertit ea in corpus ſuum & ſanguinem. Benedixit quoque cum impoſitione manuum ſuarum parvulis ſibi oblatis, & demum aſcendens ad Patrem Diſcipulis ſuis atq; fidelibus: & quis erit qui dubitet, benedictiones has fuiſſe efficaciſſimas, & plurima bona, illis quibus impertitæ fuerunt, contuliſſe. Econtra verò quam nociva fuerit ipſius maledictio, vel unica illa ficulnea, quæ fructum non habebat, teſtatur, de qua ajebant ad eum Diſcipuli: (Marc. 11.) Ecce ficus cui maledixiſti aruit.

In hac verò maledictione ſingulariter notandum, quòd Chriſtus ficui maledicturus eandem allocutus ſit dicens: Jam non amplius in æternum ex te fructũ quiſquam manducet; *licet nec audire, nec capere verba illa poſſet inſenſibilis illa ficulnea: attamen ſenſit*

senſit virtutem maledictionis illius, & continuò a-ruit. Simile quid legimus Marci 4. *ubi Chriſtus allocutus eſt ventum & mare, teſte ſacro Textu:* Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce. *Licet enim illa audire non poterant, ſentire tamen poterant vim verbi comminantis & imperantis. Mandavit quoque Deus Sacerdotibus, ut maledicta ungerent in aquam, (Num.* 5.) *per quam maledictionem vim accepit rumpendi uterum mulieris polluta inde bibentis.*

Ex quibus Exemplis patet, quòd non ſit abſonum, dum Sacerdos benedicens aut maledicens alloquatur creaturas irrationales, imò etiam inſenſibiles, dicens v.g. Exorcizo te aqua: Benedico te vinum: Alloquor te panis &c. *quia licet creaturæ illæ nec audiendi nec intelligendi poteſtatem habeant: ſentiunt nihilominus virtutem verborum illorum, & per illam benedicuntur aut maledicuntur. Imo verò ſupernaturalem virtutem inde accipiunt, tam ſanandi quàm inficiendi eos qui ex iis ſumpſerint. Unde non in vanum ait Apoſtolus* 1. *Tim.* 4. Omnis creatura DEI bona eſt: ſanctificatur enim per verbum DEI & orationem *Quaſi diceret: Eſt quidem omnis creatura Dei bona; attamen plurimum melioratur, ſi per verbum DEI & orationem ſanctificetur. Poteſtatem autem ſanctificandi & benedicendi creaturas potiſſimùm habemus nos Sacerdotes vi ordinationis noſtræ, in qua DEUS & Eccleſia dederunt nobis poteſtatem non ſolùm*

consecradi corpus Christi, sed etiam benedicendi quascunque creaturas.

Utamur ergo pro gloria Dei & salute proximi potestate nobis traditâ, atque firma fide & fiduciâ exorcizemus quoslibet infirmos & maleficiatos, benedicamusque sensibiles & insensibiles creaturas: & videbimus quantum valeat potestas & character Sacerdotalis. In Sacerdote benedicente & exorcizante non requiritur excellens sanctitas; sed potissimùm, maximè in Exorcismis, requiritur firma fides & certa fiducia. Hanc autem quilibet facilè habere poterit, cogitando se verum esse Sacerdotem, sibique veram traditam esse potestatem benedicendi & exorcizandi: intendat ergo uti potestate sua, non in sua privata persona; sed in persona Christi & Ecclesiæ, cujus minister est. Hæc pauca præfari volui ad inducendos Sacerdotes, ut cùm ad infirmos vocati fuerint, firma fide & fiduciâ impertiantur illis benedictionem: inducantque Parochi parochianos suos, ut cibos, domus & agros suos curent benedici; eò quòd res illæ benedictæ utiliores illis futuræ, & tam temporale quàm spirituale allaturæ sint emolumentum.

Si quis Parochus uti voluerit hoc Libello, necesse erit, ut duos vel tres de his sibi procuret, ut possit à suo Ludimagistro & Choristis in Psalmis & versibus juvari.

P. MART. COCHEM
Capuc.

APPROBATIO
Theologi Archi-Episc. Consistorii Pragensis.

PRæsens Rituale Francucanum continens varias Absolutiones, Benedictiones, &c. ex diversis Ritualibus, Statutis Ordinis, & libris alibi impressis collectum, sedulò perlegi; & quia non solùm nihil continet, quod fidei Catholicæ & bonis moribus obesse, imò potiùs omnibus Christi fidelibus, præcipuè autem Sacerdotibus, quod usum diversarum Benedictionum, quæ forsan hactenus multis ignotæ fuerunt, multùm prodesse potest: Hinc non tantùm dignum, sed etiam utile fore censeo, si imprimatur. Datum Pragæ in Collegio Cler. Reg. S. Pauli ad S. Benedictum die 16. Octobris 1685.

Don Florentius Düring, Cler.
Reg. S. Pauli, Ven. Archi-Ep.
Consistorii Assessor.

FACULTAS
Reverendissimi P. Ministri Generalis Ord. S. Franc. Ref.

FRater Petrus Marinus Sormannus Lector Jubilatus, Ex Guardianus Hierosolymitanus, Sanctissimæ Inquisitionis Consultor, ac Totius Ordinis Seraphici P. N. S. Francisci Minister Generalis & Servus. Plurimùm in Christo dilecto A. R. P. Bernardo Sannig. Lectori Jubilato, Ordinis Patri, ac Provinciæ nostræ Reformatæ Bohemiæ Ministro Provinciali salutem in Domino.

Cùm juxta Apostolicas Nostrique Ordinis Constitutiones Generales revisum atque approbatum fuerit quoddam opusculum à te comp latum, cujus Titulus est, Rituale Franciscanum; *Tenore præsentium cum salutaris obedientiæ merito, facultatem Tibi impertimur, quatenus servatis illud typis mandare possis ac valeas. Datum Viennæ ex nostro S. Hieronymi Conventu die 16. Augusti 1685.*

Fr. Petrus Marinus,
Minister Generalis.

(L. S.)

Demandato suæ Reverendissimæ Paternitatis

Fr. Franciscus à Bassano,
Secretarius Generalis.


APPROBATIO
ORDINARII

Imprimatur.

Wenceslcus Bileck à Bilenberg.

Pragæ anno 1685. die 27. Octob.

DE



DE ABSOLUTIONIBUS.

Forma abſolutionis ab hæreſi.



Oſtquam hæreticus eſt ſufficienter inſtructus in articulis Fidei, adducatur coram teſtibus ad aliquod Altare; & ſi ſit hæreticus toleratus in partibus Germaniæ, non fiant aliæ Ceremoniæ verberationis &c. Sed jubeatur facere Profeſſionem Fidei ſequentem editam à Pio IV.

Profeſſio Fidei â Pio IV. decreta.

EGo N. firmâ fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum DEUM Patrem Omnipotentem, Factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum JESUM CHRISTUM Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de

Spiritu Sancto, ex Maria Virgine: ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertiâ die ſecundùm ſcripturas Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis, Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem; Qui ex Patre Filioque procedit; Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur. Qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma, in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasque ejusdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto & amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum, accipiam & interpretabor.

Profiteor quoq; ſeptem eſſe verè & propriè

priè Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium illaque gratiam conferre; & ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoq; & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto.

Omnia & singula, quæ de peccato originali & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis: atq; in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter & substantialiter corpus & sanguinem, unà cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi; ferique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem nominat.

Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos atq; invocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorum reliquias esse venerandas.

Firmissimè assero Imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem & venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco, Romanoq; Pontifici B. Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo & juro.

Cætera item omnia à Sacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac Præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque

pro

profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, rejectas & anathematizatas ego pariter damno, rejicio & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor ac veraciter teneo, eandem integram & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum: Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Eadem Professió pro hæretico Germanico.

JCh N. bekenne und Glaube von Grund meines Hertzens sammentlich und sonderlich alles/ so in dem Heiligen Glauben begriffen/ den die Heil. Römische Kirche auff diese Weise gebrauchet. Ich glaube in einen GOtt Vater/ Allmächtigen Schöpffer Himmels und der Erden/ aller sichtbaren und unsichtbaren Dinge/ Und in einen unsern HErrn JEsum CHristum/ den eingebohrnen Sohn Gottes aus dem Vater von Ewigkeit gebohren/ GOtt von GOtt/ Licht von Licht/ ein

wahrer GOtt von wahrem GOtt gebohren/ und nicht erschaffen / gleicher substantz und Wesens mit dem Vater/durch Ihn seynd alle Ding erschaffen. Der umb uns Menschen und unsers Heyls willen ist gestiegen von den Himmeln / und hat durch den Heiligen Geist aus Maria der Jungfrauen Fleisch an sich genommen / und ist Mensch worden. Er ist auch für uns unter Pontio Pilato gecreutziget worden / hat gelitten / und ist begraben / und am dritten Tage/ laut der Heiligen Schrifft/ wiederum aufferstanden. Er ist gen Himmel auffgefahren/ sitzet zur rechten GOttes des Vaters/ und wird wiederumb kommen mit Glory und Herrligkeit / zu richten die Lebendigen und die Todten / dessen Reichs kein Ende seyn wird. Ich gläube auch an den Heiligen und lebendigmachenden Geist / der vom Vater uñ dem Sohn ausgehet/ der samt dem Vater und dem Sohn zugleich wird angebetet und geehret/ der geredet hat durch die Propheten. Ich glaube auch eine einige / heilige/ Catholische und Apostolische Kirche. Ich bekenne eine Tauffe zur Vergebung der Sünden/ und erwarte die Aufferstehung der Todten/ und ein Leben der künfftigen Zeit/ Amen.

Ich glaube auch festiglich / und nehme an der Heiligen Apostel und Catholischen Kir-

chen/ Lehr/ Ordnung und Satzungen. Die Heilige Schrifft verstehe und lasse ich zu / in dem Verstand/den die heil. Kirch unsere Mutter bißhero gehalten und noch hält / deren da zugehöret / von dem rechten Verstand und Außlegung der Heil. Schrifft zu urtheilen uñ zu richten. Ich wil auch gemeldte Schrifft allezeit nach der einheiligen Außlegung der Heil. Väter verstehen und außlegen.

Ich glaube und bekenne auch/ daß warhafftig und eigentlich sieben Sacrament des Neuen Gesetzes oder Testaments von CHRIsto JEsu unserm HErrn eingesetzt / und dem Menschlichen Geschlecht sehr nützlich (wiewol nicht alle einem jeden Menschen zur Seeligkeit nothwendig) seyn / als die Tauffe / die Firmung / das Sacrament des Altars / die Buß / die letzte Oelung / die Priester-Weyhe und die Ehe / und daß die Sacrament dem Menschen Gnad mittheilen / aus welchen die Tauff/die Firmung und die Priester-Weyhe/ ohne grosse Gotteslästerung / nicht mögen zum andern mahl wiederholet werden.

Ich nehme auch auff und an alle bewehrte und gewöhnliche Bräuche und Ceremonien der Catholischen Kirchen/die sie in hochermeldeter Sacramenten offentlicher Reichung und Administration gebraucht.

 Deß-

Deßgleichen glaub ich alles sammentlich und sonderlich / was von der Erb-Sünde und Rechtfertigung des Sünders im allgemeinen Concilio zu Trient zu glauben erkläret und beschlossen worden ist.

Item glaube ich / daß in der Heiligen Meß GOtt dem HErrn ein wahres / eigentliches und Versöhn-Opffer für die Lebendigen und die Todten auffgeopffert werde / und daß im Hochwürdigen Sacrament des Altars sey warhafftig / leiblich und wesentlich der Leib und das Blut mit Seel und Gottheit unsers HErrn JEsu CHristi / und daß die gantze substantz des Brods in den Leib / und die gantze substantz des Weins in das Blut CHristi verwandelt werde / welche Verwandelung die Catholische Kirche nennet Transubstantiationem, das ist Verwandlung einer substantz in die andere.

Ich glaube auch / daß unter einer Gestalt allein der gantze und unzertheilte CHristus / und das wahre Sacrament seines Fronleichnams / fruchtbarlich genossen und seeliglich empfangen werde.

Ich glaube festiglich / daß ein Fegfeuer sey / und daß den Christglaubigen Seelen / so allda abzubüssen verhafftet / durch Fürbitt / Allmosen / und andere Gottselige Wercke der Gläubigen geholffen werde. Item /

Item / daß man die lieben Heiligen / welche mit CHristo regieren / als Freunde GOttes und unsere seelige Mitglieder ehren und anruffen solle / und daß sie auch GOtt für uns bitten / darzu auch / daß ihre heilige Leiber und Heiligthum / als gewesene Werckzeuge des Heil. Geistes / so wieder am Jüngsten Tage zu ewiger Glory erstehen werden / in Ehren zu haben seynd.

Ich glaube auch beständiglich / daß unsers HErrn JEsu Christi und seiner Mutter Mariæ / auch anderer lieben Heiligen Bilder und Gemählde / welche uns der Wolthaten Gottes und aller guten Exempel erinnern / zu haben und zu behalten seynd / und daß man ihnen gebührende Ehr und Reverentz erzeigen solle.

Item / ich glaube für gewiß / daß CHristus unser lieber HErr in der Kirchen die Gewalt des Ablaß gelassen habe / und daß dessen Gebrauch dem Christlichen Volck hoch-nützlich und heilsam sey.

Ich erkenne auch die Heilige Catholische-Apostolische-Römische Kirche für eine Mutter und Meisterin aller andern Kirchen.

Verheisse auch und gelobe warhafftigen Gehorsam dem Römischen Bischoffen / als der da ist des Heiligen Petri / der Aposteln

Fürsten / Nachkommer / und unsers HErrn Jesu Christi auff Erden Vicarius und Stadthalter.

Deßgleichen glaub ich auch und nehme ungezweiffelt an alles / was von den heiligen Canonen und allgemeinen Concilien / und insonderheit von dem jüngst gehaltenen heiligen Concilio zu Trient / zu glauben fürgehalten / geboten / beschlossen und erkläret ist. Hergegen aber verwerffe / verfluche und verdam̃e ich alle Ketzereyen / Irthümer und Glaubens-Spaltungen / so von gemeldter Kirchen bißhero verworffen / verflucht und verdam̃et seyn.

Diesen wahren Catholischen Glauben / ausserhalb dessen niemand seelig werden kan / den ich allhier zugegen freywillig bekenne und warhafftig glaube / denselben (wils GOtt) wil ich gantz unverletzt biß in meine Grube festiglich und beständiglich halten und bekeñen.

Ich wil auch / so viel mir möglich / allen Fleiß anwenden / damit dieser Glaub von meinen Unterthanen / oder von denen / welche meiner Sorg befohlen seyn / gehalten / gelehrt und gepredigt werde. Das verheisse / gelobe und schwere ich N. also helffe mir die allerheiligste und unbegreiflichste Dreyfaltigkeit / und alle GOttes Heiligen und Außerwehlten. Amen.

Eadem

Eadem Professio Polonicè.

JA N. mocno wierzę y wyznawam wßystko społem y z osobna cokolwiek się tylko zamyka w prawdziwym wyznaniu / ktorego używa święty Kościoł Rzymski: Co jest: Wierzę w jednego Bogá Oycá wßechmogącego Stworcę Niebá ziemie wßech rzeczy widomych y nie widomych. A w Jezusá Chrystusá jedynego Syná Bożego; z Oyca zrodzonego przed wßystkiemi wieki: Bogá z Bogá / z Swiátło z Swiatłá / Bogá práwego z Bogá práwego: zrodzonego / nie uczynionego; społistotnego z Oycem / przez ktorego wßystko się stáło. Ktory dla nas y dla náßego zbawienia z niebá zstąpił. y wćielony jest z Duchá S. z Márii Pánny: y stał się człowiekiem. Ukrzyżowány tákże zá nas pod Pontskim Piłatem: umęczon y pogrzebiony: Trzećiego dniá zmartwychwstał / wedle pisma: y wstąpiwßy do Niebá. siedzi ná práwicy Oycá: A znowu przydzie w chwale sądźić żywych y umárłych / ktorego Krolestwá nie będźie końcá. Wierzę y w Duchá Swiętego / Páná y Ożywiájącego: ktory z Oycá y Syná pochodźi: ktoremu z Oycem y Synem pokłon y cześć oddáją: ktory przez Proroki mowił. Wierzę y jeden święty Katolicki y Apostolski Kośćioł. Wyznawam Chrzest jeden ná zgładzenie grzechow: y czekam zmartwychpowstania / y wiecznego żywotá: A.

Apostolskie y Kośćielne tradycye álbo podánia y inne tegoż Kośćiołá S. zachowánia y Konstytucye álbo ustáwy / mocno przypußczam y przyimuję.

Tákże pismo świete wedle tego sensu y rozumienia ktory trzymáła / y trzyma S. Mátka / Kośćioł / do ktorey należy dáwáć zdánie swoje / około rozumienia pismá świetego / przyimuje: áni go nigdy ynaczy / tylko wedle zgodnego Oycow SS. zdánia tłomáczyć bede

Wyznawam tákże śiedm prawdziwych Sákrámentow nowego Zákonu od Jezusa Chrystusá Páná nászego postánowionych / ktore do zbá wienia ludzkiego narodu / choćiasz nie wszystkie káżdemu z osobna sa potrzebne: to jest Chrzest. Bierzmawánie / Sakrament Nayświetszy / Pokute / Ostatnie pomaszczenie / Kapłaństwo y Małżeństwo: y że wszystkie te Sákramentá łáske przynosza: tákże isz Chrzest y Bierzmowánie powtarzáć sie nie może pod grzechem śmiertelnym.

Przyjete tákże y approbowáne Kośćioła S. Katolickiego Ceremonie / ktorych przy pomienionych Sákrámentách używája / przyimuje y przypuszczam.

Wszystkie oraz y káżde zosobna / ktore o grzechu pierworodnym y o usprawiedliwieniu / ná świetym Trydenskim Synodzie, ustawy sauczynione / zchećia przyimuje.

Wyznawam tákże isz przy Mszy S ofiarowána bywa / prawdziwa y zbawiena ofiára ták zá żywych jáko y umárłych: tákże isz w przenayświetszym Sákramencie / jest prawdziwie y istotnie Ciáło y Krew / z Duszą y Bostwem Páná nászego Jezusá Chrystusá: y że sie przemienia cáła istotá chlebá y winá Ciáło y Krew Páńską /

ska/ ktore przezmienienie Kościoł Kátolicki Rzymski zowie *Transubstantiatią.*

Wyznawam tákże iż pod jedna osoba cały Chrystus y prawdziwy Sakrament przyimowány bywa.

Twierdzę tákże mocno iż jest czyśćiec: y że wnim dusze zostájace duchownym wiernych ludzi/ Sukkursem ratowáne być moga. Tákże iż świeci Páńscy w Niebie z Bogiem krolujacy/ czczeni być mája y wzywáni/ y że ćiż świeći zá nas się do Bogá przyczyniaja: a ná ostatku że ich świetym relikwiom cześć ma być wyrzadzászna

Mocno twierdzę y to że obrázy Chrystusá y Pánny Nayświetszy y innych świetych Páńskich mája być miane we wszelkiey uczćiwośći.

Odpustow tákże świetych nadawania moc/ od Chrystusá w Kośćiele świetym zostawione/ y ich uzywánie być wielce potrzebne Ludowi Chrześćiańskiemu twierdzę y mocnie wyznawam.

Swiety Kátolicki y Apostolicki Rzymski Kośćioł wszystkich Kośiołow Mátka y Mistrzynia wyznáje: y Rzymskiemu Papiezowi Błogosławionemu Piotrowi Apostołow Xiazećiu/ a Jezusá Chrystusá Nástepcy/ wierne posłuszeństwo przyobiecuje y poprzysiegam.

A ná ostatku przyimuje y to wszystko co ná świetych Zborách y Koncyliách/ á zwłaszczá Trydenskim urádzono/ postánowiono/ y opisáno/ y w Kánony włożono przy tym wszystkie przećiwne ustáwy/ wszystkie Herezye y Odszczepieństwá od świetego Kośćiołá odrzucone/ y

wykte

wyktkte te/ y ja odrzucam/ oddalam y potepiam. N. te prawdziwa Wiare Katolicka/ procz ktorey/ nikt zbawion być nie może/ ktora teras dobrowolnie wyznawam/ y prawdziwie przyimuje/ cała/ y nienaruszona áż do ostatniego życia mojego Krześu/mocnie (przy łásce Bozy) chowáć/ y wyznawáć/ y żeby od moich Poddanych/tákże y tych ktorzy pod moją Jurisdykcya zostáwáć bedą/ wyznána y zachowána była/ ile ze mnie bedzie mogło być/ że chce, co ja tenże N. obiecuje/ ślubuje/ y przy siega potwierdzam: Ták mie BOże wspomoż/ y tá święta Ewangeliá.

Finitâ professione fidei professus facit Confessionem Sacramentalem, & Sacerdos ipsum absolvit Formula sequenti.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, nec non Sanctissimi Domini nostri Papæ N. mihi commissa, & hactenus nondum revocata, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis,

quo

quo teneris propter hæreſin, in qua vixiſti; & incorporo te gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ, communioni fidelium, & participationi Sacramentorum ejusdem Sanctæ, Romanæ, Catholicæ & verè Apoſtolicæ Eccleſiæ: deinde eâdem auctoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis: In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Forma abſolutionis Sacramentalis Apoſtatæ à Fide.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimisſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, abſolutionem & remisſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſius & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non ſanctisſimi Domini noſtri Papæ N. mihi commiſſa ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, quam incurriſti propter Apoſtaſiam à Fide, & errores, quos fortasſis etiam aliis tradidiſti, & reſtituo te gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ, communioni fidelium, & participationi Sacramentorum ejusdem Sanctæ Romanæ Catholicæ & verè Apoſtolicæ Eccleſiæ. Deinde eadem authoritate

ego te abſolvo ob omnibus peccatis tuis : In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Forma abſolutionis Religioſi Apoſtatæ extra Sacramentum.

Fratribus capitulariter congregatis in loco Capituli, Religioſus Apoſtata juſſu Superioris genuflexus diſciplinat ſe flagellis recitando Pſalmum: Miſerere mei Deus &c. *eo finito Superior ſurgit & dicit,* Kyrie eleyſon, *cæteris reſpondentibus* Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon, *& dicto* Pater noſter *ſub ſilentio Superior intelligibili voce dicit ſequentia :*

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*
V. *Salvum fac ſervum.* ℟. *Deus meus ſperantem.*
℣. *Eſto ei Domine turris fortitud.* ℟. *A facie inimici*
V. *Domine exaudi orationem* R. *Et clamor meus.*
V. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

DEUS, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, & hunc famulum tuum N. fratrem noſtram, quem Apoſtaſiæ ſententia ligat, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Deinde idem Præſes Apoſtatam abſolvat ſequenti fo[illegible]:

Authoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Sanctæ

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Prælatorumque noſtri Ordinis mihi in hac parte commiſſa, ego te abſolvo ab hoc vinculo excommunicationis, quo teneris & ligaris per apoſtaſiam : & reſtituo te Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium: diſpenſando tecum in omni ſententia irregularitatis, ſuſpenſionis & interdicti, ſi qua exinde innodatus teneris. In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Forma abſolutionis Excommunicati jam mortui.

Si quis excommunicatus ex hac vita decedens, dederit ſignum contritionis, ne Eccleſiaſtica careat ſepultura, ſed ſuffragiis Eccleſiæ, quantum fieri poteſt, adjuvetur, abſolvi poteſt hoc modo: Si corpus nondum ſepultum fuerit, verberetur, & abſolvatur, ut infrà; deinde abſolutum in loco ſacro ſepeliatur.

Si verò fuerit ſepultum in loco profano, ſi commodè fieri poterit, exhumetur, & eodem modo verberetur, & poſt abſolutionem in loco ſacro ſepeliatur. Si autem commodè exhumari non poſſit, locus ſepulturæ verberetur; poſteà abſolvatur. Quod ſi in loco ſacro ſit ſepultus, non exhumetur; ſed verberetur ſepulchrum: dum autem corpus ſive ſepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiphonam ſequentem.

Antiph. Exultabunt Domino oſſa humiliata.
Pſalmus. Miſerere mei DEUS &c.

Quo finito abſolvat dicendo :

Authoritate mihi conceſſa, ego te abſolvo à vinculo excommunicationis, quam incurriſti, *vel* incurriſſe declaratus es propter tale factum, & reſtituo te communioni fide-

 lium.

lium. In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Deinde dicatur Psalmus De profundis &c. *in fine Vers.* Requiem æternam dona ei Domine. *Resp.* Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster.

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animam ejus.*
℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Da quæsumus Domine animæ famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Forma absolutionis à Suspensione vel Interdicto; extra vel intra Sacramentum.

Si Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem à Suspensione vel Interdicto, quamvis nulla verba sint præcipuè determinata, uti poterit hâc formâ. Pænitens dicat Confiteor &c. *& Sacerdos* Misereatur tui omnipotens DEUS, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen.

Indul-

Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Authoritate mihi ab N. tradita, ego te abſolvo à vinculo Suſpenſionis (*vel*) Interdicti, quam (*vel*) quod propter tale factum (*vel*) cauſam incurriſti, (*ſeu*) incurriſſe declaratus es: In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Si verò Confeſſario ſive in foro conſcientiæ ſive extra data ſit poteſtas diſpenſandi ſuper irregularitate, tunc poſtquam abſolverit à peccatis, addat conſequenter.

Et eâdem authoritate diſpenſo tecum ſuper irregularitate, *vel* irregularitatibus, (*ſi ſint plures*) in quam (*vel*) in quas ob talem (*vel*) tales cauſas (*eas exprimendo*) incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni Ordinum & Officiorum tuorum: In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Si nullum Ordinem habeat, dicatur: Habilem reddo te ad omnes Ordines ſuſpiciendos.

Quod ſi neceſſe ſi titulum beneficii reſtituere, & fructus malè perceptos condonare, ſubjungat:

Et reſtituo tibi titulum (*ſeu*) titulos beneficii (*ſeu*) beneficiorum, & condono tibi fructus malè perceptos: In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in hujusmodi facultatis ſuæ terminos excedat.

Forma abſolutionis pro Viſitatione Generalia, quâ utuntur Superiores Regulares tempore Viſitationis Canonicæ.

Primò omnes ſubditi genuflexi dicunt Confiteør &c. *eo finito Prælatus ſtando dicit:* Miſereatur veſtri Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis Omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis, majoris vel minoris, ſuſpenſionis aut interdicti, in quantum ſe extendunt gratiæ & privilegia Ordini noſtro indulta, mihi commiſſa, & vobis conceſſa, abſolvo vos, & reſtituo vos Sacroſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni & unitati Fidelium: In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Item, eadem auctoritate diſpenſo vobiscum, ſuper irregularitatibus, inhabilitationibus, & aliis pœnis Eccleſiaſticis, ſi quas contraxiſtis, in quautum poſſum & valeo,

Aboleo

Aboleo etiam à vobis omnem maculam infamiæ, undecunque contractæ, & habilito vos, ac restituo executioni Ordinum & Officiorum vestrorum; nec non ad omnes actus legitimos, tum Ordinis, tum Jurisdictionis, ac Religionis nostræ beneficia, prout nostra se extendit auctoritas. Demum eâdem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione Regulæ, Constitutionum, ordinationum & admonitionum majorum nostrorum: ab omnibus pœnitentiis oblitis, seu etiam neglectis, & ab omnibus peccatis vestris; de illis vobis concedendo indulgentiam plenariam, juxta formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ consvetam: In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Ite in pace, nolite amplius peccare, & orate DEUM pro me.

Forma absolutionis solita dari Religiosis Capitularibus Electoribus in Capitulo, ad effectum secuturæ electionis.

Electores omnes flectunt in medio Capituli, dicuntq; Confiteor &c. *Desuper Præses Capituli surgit, & dicit* Misereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus noster Jesus Christus vos absolvat, & ego authoritate ipsius, & beatorum Apo-

Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Sanctæ ſedis Apoſtolicæ, mihi in hac parte commiſſa, & vobis conceſſa, abſolvo vos ab omni vinculo excommunicationis, ſi quam incurriſtis, & reſtituo vos unioni & participationi Fidelium, nec non Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, diſpenſando vobiſcum in omni ſententia irregularitatis, ſuſpenſionis, & interdicti, ſi qua innodati eſtis, & ad effectum electionis, canonicè, & ritè nunc per vos celebrandæ, quatenus opus ſit, & indigetis, vos habilito: In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Forma abſolutionis Generalis, quæ ſolet dari Religioſis Fratribus agonizantibus.

Fratres circumſtantes dicunt Confiteor &c. *Deinde Superior agonizantis, vel loco ejus alius Sacerdos dicit* Miſereatur &c. Indulgentiam &c.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus per merita ſuæ ſacratiſſimæ Paſſionis te abſolvat, & gratiam ſuam tibi infundat: & ego authoritate ipſius, ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſummorum Pontificum mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, majoris vel minoris, & ab omni ſententia ſuſpen-

ſpenſionis & interdicti: & diſpenſo tecum in omni irregularitate, ſi quam contraxiſti, & reſtituo te unioni & participationi fidelium, nec non Sanctis Sacramentis Eccleſiæ. Eadem authoritate ego te abſolvo ab omni transgreſſione votorum tui Ordinis, & Statutorum Papalium, Generalium, Provincialium, Cuſtodialium, Localium, Synodalium quorumcunque. Eadem authoritate te abſolvo ab omni divino officio malè perſoluto, horis indebitè transpoſitis & dimiſſis. Item eadem authoritate ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquiſti, concedens tibi remiſſionem & indulgentiam plenariam omnium peccatorum confeſſorum, & cunctorum, de quibus etiam non recordaris, aut oblitus fuiſti, in quantum claves Eccleſiæ ſe extendunt. Item eadem authoritate ego te abſolvo à pœnis purgatorii, quas pro peccatis commiſſis, & delictis in hoc mundo perpetratis meruiſti; reſtituendo te illi ſtatui innocentiæ, in quo eras, quando baptizatus fuiſti: In nomine Patris ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Quod ſi hac vice non deceſſeris, reſervo tibi hanc gratiam uſque ad extremum mortis tuæ articulum.

Hoc maximum privilegium indulgentiarum in mortis articulo Religioſis clauſtralibus hac conditione & onere à ſummis Pontificibus conceſſum fuit: ut qui legere ſciunt, Pſalmos Pœnitentiales cum ſuis Litaniis Omnium Sanctorum, verſibus & orationibus annexis dicant toties, quot ſunt hebdomadæ in anno, videlicet 52. qui verò legere neſciunt, debent alia pia opera ad arbitrium ſui Confeſſarii facere. Vide Theat. Reg. V. abſol. n. 18.

Forma abſolutionis generalis ſolita dari Chordigeris S. Franciſci in articulo mortis.

Dicto Confiteor &c. *Sacerdos Franciſcanus dicit* Miſereatur &c. Indulgentiam &c.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus per merita ſuæ ſanctiſſimæ Paſſionis te abſolvat, & gratiam ſuam tibi infundat: Et ego authoritate ipſius, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & ſummorum Pontificum mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, abſolvo te ab omni vinculo excummunicationis, majoris vel minoris, & interdicti, ſi quod incurriſti, & reſtituo te unitati & communioni fidelium, & Sanctis Sacramentis Eccleſiæ. Item eadem authoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humana, vel malitia deliquiſti, tibique relaxo omnes pœnas purgatorii, quas peccatis tuis commiſſis meruiſti, concedens tibi remiſſionem, & indulgentiam plenariam omnium peccatorum, & cunctorum de quibus

etiam

etiam non recordaris, aut oblitus fuisti, in quantum claves Ecclesiæ se extendunt, & restituo te illæ innocentiæ, in qua eras, quando baptizatus fuisti: In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi hanc gratiam usque ad extremum mortis tuæ articulum.

DE BENEDICTIONIBUS.

Benedictio Amictus.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oratio.

Immensæ pietatis, & plenitudinis gratiarum infusor Deus, qui per os Prophetæ tui dixisti, expandi amictum tuum super te, & operi ignominiam tuam, plenitudinem gratiæ & bene ✠ dictionis tuæ super hunc amictum, quæsumus, propitiatus extende, ut omnes, qui eo usi fuerint, perfectam, quam designat amictus, castigationem vocis & gulæ sentiant, fiantq; perfecta virtute decori, ut ex amictibus ipsis reddantur tibi Deo omnipoten-

potenti moribus & gratia ſpecioſi. Qui vivis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Benedictio Albæ.

Oratio.

Domine Deus omnipotens, qui Aaron & filios ejus tunicis lineis, in decorem & gloriam Sacerdotii, indui præcepiſti, cum quibus ipſi ſanctificati, tibi etiam in ſanctuario miniſtrarent, hanc quæſumus lineam tunicam tuæ virtutis ſanctificatione bene ✠ dicere & ſanctifi ✠ care digneris: quatenus omnes, qui ea induti in ſancto miniſterio tuo uſi fuerint, digni fiant Altaris tui miniſtri, ipſosq; ſeptiformi gratia Spiritus Sancti repletos, & caſtitatis zonâ præcinctos, facias cum miniſtris Angelicis immortalitatis fruitione veſtiri. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Benedictio Cinguli.

Oratio.

Deus innocentiæ reſtitutor, & puritatis amator, qui utriusq; Teſtamenti patres lumbos ſuos præcingere inſtruxiſti: quo videlicet carnalem lumborum luxuriam diſcerent ſobrietate continentiæ coarctare, ſancti ✠ fica & benedic, quæſumus Domine, cingulum iſtud, ut omnes, qui eo cincti fuerint,

rint, & ab æstu voluptatum carnalium refrigerium sentiant, & Spiritus Sancti rore perfusi, quæ tua sunt, mundo corde & casto corpore desiderent & sectentur. Per Dominum nostrum &c.

Benedictio Manipuli.

Oratio.

Deus, qui de fructu operum tuorum terram satias, & secundùm opera sua retribuis, & judicas unumquemque; manipulum istum, per quem fructus bonorum operum designantur, tuæ bene ✠ dictionis dono sancti ✠ fica, quatenus ministri Altaris tui ipso utentes manipulo, per bonorum operum fructum digna se gaudeant assequi præmia meritorum. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Benedictio Stolæ.

Oratio.

Ineffabilis benignitatis & clementiæ Deus, cujus jugum svave onusque leve esse tu ipse perhibes, quiq; per os sapientes collum nos subjicere jugo tuæ sapientiæ docuisti, bene ✠ dic, quæsumus, & sancti ✠ fica stolam istam, jugum mansvetudinis præsignantem, ut Sacerdotes & Levitæ tui, qui eidem stolæ humeros & colla submiserint, svavitatis tuæ senti-

ſentiant lenitatem, qua tenus inter illam magnam & innumerabilem turbam, quam beatus Joannes vidit in conſpectu Agni ſtolis albis amictam, ſtolas ſuas lavare in ipſius Agni ſanguine mereantur: ac tanquam formoſi in ſtola ſua, & in multitudine ſuæ fortitudinis gradientes, ſtolâ induantur gloriæ æternaliter cum electis. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Benedictio Planetæ, ſeu Caſulæ.

Oratio.

Deus fons bonitatis & juſtitiæ, qui tui operis miniſtros ad extremum veſtimento caſulæ, cujus munimine interius omnia regerentur, veſtiri ſanxiſti, bene ✠ dic, quæſumus, & ſancti ✠ fica Caſulam iſtam, & concede petitionibus noſtris, ut omnes hâc Caſula induti, enumeratis intus omnium virtutum ornamentis, vinculum perfectæ charitatis ſuper omnia habeant, quo deſiderare, & quo proficere te præſtante valeant. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Benedictio Strictæ, ſeu Tunicellæ.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Moyſi famulo tuo levitica indumenta, quæ ad cultum ſanctuarii pertinent, facere præcepiſti,

bene-

bene ✠ dic, quæſumus, hanc Strictam, ſeu Tunicellam, ut Subdiaconatus miniſteriis, quibus famuli tui decenter ſunt ornati, & virtutum percipiant incrementa, & vitiorum monſtra devitantes, ad te, qui via, & veritas, & vita es, gratioſi valeant pervenire. Per Chriſtum &c.

Benedictio Dalmaticæ.

Oratio.

Deus omnipotens bonorum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, ſupplices te rogamus ac petimus, ut mentibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, & hanc Dalmaticam cultui tuo præparatam, virtute Sancti Spiritus bene ✠ dicere, ſancti ✠ ficare & conſe ✠ crare digneris, & omnibus eam portantibus gratiam ſanctificationis ſacri miniſterii tui benignè concede, ut in conſpectu tuo ſancti & immaculati atq; irreprehenſibiles appareant, & auxilium tuæ miſericordiæ acquirant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio Pluvialis.

Oratio.

Domine Deus, Pater Omnipotens, Rex ac magnificus Triumphator, qui per Sanctos Patres noſtros, qui tibi in Sacerdotali Ordine

ne placuerunt, diversi generis ornamenta & vestimenta Sacerdotalia fieri, & in his ornari Sacerdotes tibi servientes voluisti, exaudi propitius orationem nostram, & hanc Cappam seu Pluviale dexteritate tua sancta bene✠dicere, sancti✠ficare & conse✠crare digneris, quatenus hoc vestimentum Ministris & Levitis, Sacerdotibus ac Pontificibus tuis ad divinum cultum ornandum atq; explendum proficiat, sanctisq; Altaribus mundi & ornati in hac veste ministraturi, irreprehensibiles in actu & dicto, interius exteriusque appareant, & tibi soli Deo puro corde & mundo corpore omnibus diebus vitæ suæ, irreprehensibiliter Sanctorum Patrum exempla sequentes, servire valeant: iisq; sacris ministeriis, secundùm tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis, cœlestis regni gloriam, cum omnibus nobis sibiq; commissis, percipere mereantur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Benedictio Thuribuli.

Oratio.

Deus, ad cujus sepulchrum cum aromatibus in specie animarum sanctarum, virtutes sanctorum operum gestantium, diluculo mulieris venisse memorantur: & in cujus conspectu Angelus, habens thuribulum aureum,

reum, ſtetiſſe, & datis incenſis de Orationibus omnium Sanctorum ante thronum Domini adoleviſſe, cœleſti juſſione divulgatur, adeſto propitius invocationibus noſtris, & hoc Thuribulum cœleſti bene✠dictione perfunde, ut quicunq; ex eo thimiamatis vel thuris fragantiam ſenſerint, tua donante immenſa clementia, odores orationum ante conſpectum Majeſtatis tuæ per manus ſanctorum emittant Angelorum, atque perſolvant Salvator mundi. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Linteaminis, quo tegendum & ſervandum eſt Corpus Dominicum.

℣. *Adjutorium* &c.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, bene✠dic Linteamen iſtud, ad tegendum, involvendumque Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui tecum vivit & regnat &c.

Aſpergatur &c.

Benedictio Corporalium & Pallarum.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

℣. *Domine*

℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo.

Oratio.

Clementissime Domine, cujus inenarrabilis virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue quæsumus, ut hoc Linteamen tuæ protectionis bene ✠ dictione sanctificetur ad consecrandum super illud Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit &c.

Alia Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, bene- ✠ dicere, sancti ✠ ficare & conse ✠ crare digneris Linteamen istud ad tegendum & involvendum Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram bene ✠ dictionem hoc Linteamen sanctificetur, & Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus S. gratià efficiatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Tabernaculi seu Vasculi, pro Sacro-Sancta Eucharistia conservanda.

℣. Adju-

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut vaſculum hoc, pro corpore Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti in eo condendo fabricatum Benedictionis ✠ tuæ gratiâ dicare digneris. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. A.

Deinde aſpergit illud aquâ benedictâ.

Benedictio Domus in Vigilia Nativitatis Domini, juxta conſvetudinem locorum, uno vel tribus diebus benedicendi.

Sacerdos ingrediens domum dicat: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. *Deinde accedens ad locum præcipuum domus dicit:*

Antiphona.

Cùm eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, All.

Magnificat anima mea Dominum &c.

Dum dicitur Magnificat, circuit domum tam aſpergendo aquâ benedictâ, & incenſo adolet in fine, in loco apto conſiſtens repetit Antiph.

Cùm eſſet deſponſata &c. Pater noſter &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. Hodie ſcietis quia veniet Dominus.
℟. Et mane videbitis gloriam ejus.
℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem veri luminis feciſti illuſtratione clareſcere: da quæſumus, ut cujus lucis myſteria in terris cognovimus, ejus quoq; gaudiis in cœlo perfruamur. Per eundem Dominum &c.

Ubi ſunt Clerici, poterit cantari Reſponſorium:

Judæa & Hieruſalem nolite timere, cras egrediemini, & Dominus erit vobiſcum: Emmanuel, quem prædixit Gabriel natum de pura Virgine, erit vobiſcum. ℣. Conſtantes eſtote, videbitis auxilium Domini ſuper vos. ℟. Cras egrediemini, & Dominus erit vobiſcum. Emmanuel, quem prædixit Gabriel natum de pura Virgine, erit vobiſcum.

Benedictio Domus in Vigilia Circumciſionis Domini.

Sacerdos ingrediens domum dicat:

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Antiphona.

Magnum hæreditatis myſterium, templum Dei factus eſt uterus neſciens virum: non eſt pollutus ex ea carnem aſſumens: omnes gentes

gentes venient dicentes gloria tibi Domine, Alleluja.

Canticum. Magnificat &c.

Aspergitur & incensatur domus, ut suprà. In fine, Magnum hæreditatis mysterium &c. Pater noster &c.

℣. *Et ne nos inducas* ℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Vocatum est nomen ejus Jesus.*

℟. *Omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui salutis æternæ beatæ MARIÆ virginitate fœcunda humano generi præmia præstitisti, tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Responsorium.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate. ℣. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. ℟. Plenum gratiâ & veritate.

Benedictio Domus in Vigilia Epiphaniæ Domini.

In ingressu:

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Antiphona.

Ab oriente venerunt Magi in Bethlehem adorare Dominum, & apertis thesauris suis pretiosa munera obtulerunt, aurum Regi magno: thus DEO vero: myrrham sepulturæ ejus, Alleluja.

Canticum: Magnificat anima mea &c.

Aspergitur & incensatur domus, ut suprà. In fine Antiph. Ab oriente venerunt &c. Pater noster &c.

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Omnes de Sabba venient.*

℟. *Aurum & Thus deferentes.*

℣. *Domine axaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus Stellà duce revelàsti; concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usq; ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Am.

Respon-

Responsorium.

Illuminare, illuminare Hierusalem, quia venit lux tua: Et gloria Domini super te orta est, Jesus Ghristus ex Maria Virgine. ℣. Et ambulabunt gentes in lumine tuo: & Reges in splendore ortus tui. ℟. Et gloria Domini super te orta est, &c.

Benedictio Aquæ in Vigilia Epiphaniæ Domini.

Responsorium.

Hodie cœli aperti sunt, & mare dulce factum est. Terra exultat, montes & colles lætantur, quia à Joanne in Jordane Christus baptizatus est. ℣. Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum? ℟. Quia à Joanne in Jordane Christus baptizatus est.

Finito Responsorio ante alveum aquæ dicat Sacerdos.

Antiphona.

Vox Domini super aquas, Alleluja. Deus Majestatis intonuit, Alleluja.

Psalmus 28.

AFferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.

Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentes cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas, tanquam vitulum libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis deſertum: & commovebit Dominus deſertum Cades.

Vox Domini præparantis Cervos, & revelabit condenſa: & in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: & ſedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Gloria Patri &c.

Antiphona.

In Eccleſiis benedicite Dominum, Alleluja: De fontibus Iſraël, Alleluja.

Pſalmus 67.

EXurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus: & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera â facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.

Et

Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus: turbabuntur à facie ejus, patris orphanorum, & judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus cùm egredereris in conspectu populi tui: cùm pertransires in deserto.

Terra mota est, etenim cœli distillaverunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Israël.

Pluviam voluntariam segregabis DEUS hæreditati tuæ, & infirmata est: tu verò perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: parâsti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons DEI, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: utquid ſuſpicamini montes coagulatos.

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium; Dominus in eis in Sina in Sancto.

Aſcendiſti in altum, cæpiſti captivitatem: accepiſti dona in hominibus.

Etenim non credentes inhabitare, Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Deus noſter Deus ſalvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dixit Dominus, ex Baſan convertam: convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Vide-

Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus Dei mei: Regis mei, qui est in sancto.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus: in medio juvencularum tympanistriarum.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.

Ibi Benjamin adolescentulus: in mentis excessu.

Principes Juda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jerusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantate DEO: psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli, ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo super Israel, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri & Filio, &c.

Antiphona.

Ipse liberavit me, Alleluja; De laqueo venantium, Alleluja.

Psalmus 90.

QUi habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, susceptor meus es tu: & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verum tamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum. Non

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum repleo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri & Filio, &c.

Sacerdos genuflexus dicat.

LITANIÆ.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie el. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
} Miſerere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.

Sancte

Sancte Michael, ora pro nobis.
Sancte Gabriel, ora pro nobis.
Sancte Raphael, ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli, orate pro nobis
Omnes ſancti beatorum ſpirituum Ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.

S. Petre,	S. Bartholomæe.	Ora pro nobis.
S. Paule,	S. Matthæe,	
S. Andrea,	S. Simon,	
S. Jacobe,	S. Thadæe,	
S. Joannes,	S. Matthia,	
S Thoma,	S. Barnaba,	
S. Jacobe,	S. Luca,	
S. Philippe,	S. Marce,	

Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro nobis.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, orate pro nobis.

Sancte Stephane,	Ora pro nobis.
Sancte Laurenti,	
Sancte Vincenti,	
Sancte Fabiane,	
Sancte Sebaſtiane,	

Sancti Joannes & Paule, orate pro nobis.
Sancti Cosma & Damiane, orate pro nobis.
Sancti Gervasi & Protasi, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora pro nobis.
Omnes Sancti Martyres, orate pro nobis.

S. Sylvester,	S. Martine,	Ora pro nob.
S. Gregori,	S. Nicolae,	
S. Ambrosi,	S. Bonaventura,	
S. Hieronyme,	S. Ludovice,	
S. Augustine,		

Omnes Sancti Pontifices & Confessores, orate pro nobis.
Omnes Sancti Doctores, orate Pro nobis.

S. Benedicte.	S. Thoma,	Ora pro nobis.
S. Dominice,	S. Vincenti,	
S. Antoni,	S. Bernardine,	
S. Francisce,		

Omnes sancti Monachi & Eremitæ, orate pro nobis.
Omnes sancti Sacerdotes & Levitæ, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.

S. Lucia,	S. Catharina,	Ora pro nobis.
S. Agatha,	S. Clara,	
S. Agnes,	S. Margaretha,	
S. Cæcilia,	S. Elisabetha,	

Sancta Catharina de Senis, ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis.

Omnes

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea & improvisa morte,
Ab insidiis Diaboli,
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,
A cœcitate cordis,
Ab inimicis nostris,
A diebus malis;
A cruciatu famis,
A peste & clade,
A pœnis inferni,
A periculo mortis,
A potestate diaboli,
A malis operibus,
A Spiritu fornicationis,
A fulgure & tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptismum & sanctum jejunium tuum,
Per crucem & passionem tuam,
Per mortem & sepulturam tuam,

Libera nos Domine.

Per

Per ſanctam reſurrectionem tuam, Libera nos Domine.

Per admirabilem aſcenſionem tuam, Libera nos Domine.

Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, Libera nos Domine.

In die Judicii, Libera nos Domine.

Peccatores,

Vt nobis parcas,

Vt nobis indulgeas,

Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,

Vt Eccleſiam tuam Sanctam regere & conſervare digneris,

Vt dominium Apoſtolicum & omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta religione conſervare digneris

Hic Sacerdos ſurgat, & dicat.

Vt hanc aquam bene ✠ dicere digneris,

Vt hanc aquam bene ✠ dicere & ſancti- ✠ ficare digneris,

Vt hanc aquam bene ✠ dicere, conſe- ✠ crare & ſancti ✠ ficare digneris,

Iterum genuflexus proſequatur.

Vt inimicos Sanctæ Eccleſiæ humiliare digneris.

Vt Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris,

Te rogamus audi nos.

Vt cuncto populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris,
Vt nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris,
Vt hodie & semper sine peccato nos custodias,
Vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas,
Vt omnibus Benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Vt animas nostras, fratrum, propinquorum & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias,
Vt fructus terræ dare & conservare digneris,
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Vt nos exaudire digneris,
Filii DEI,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleys.

Pater noster &c. *Dicitur silentio usque ibi.*

℣. *Et*

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Salvos nos fac Domine Deus noster.*
℟. *Et congrega nos de nationibus.*
℣. *Ut confiteamur nomini sancto tuo.*
℟. *Et lætemur in laude tua.*
℣. *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo.*
℟. *Et usque in seculum fiat, fiat.*

Sufflat in aquam tribus vicibus sic dicendo:

Exsufflo te omnis legio Satanæ in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Exorcismus.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, ne communis sis ulli spiritui immundo: sed dabis honorem viventi atq; regnanti Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & ubicunq; aspersa fueris, spiritus immundus ab eo loco recedat. Itaque adjuro te creatura aquæ in nomine Jesu Christi Nazareni Filii Dei vivi, Regis & Judicis nostri, ut sis purgatio & sanctificatio hominum, quos Deus ad suam sanctam gratiam vocare dignatus est. Te ergo invoco Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc aquam exorcizare & bene✠dicere pro tua pietate digneris, ut omnis immundus spiritus locum in ea ultra

non habeat vel potestatem, sed ubicunque aspersa fuerit, Angelorum tuorum ibi descendat exercitus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spirtus Sancti Deus per omnia secula saculorum. ℞. Amen.

Lectio libri Numeri.

In diebus illis convenerunt filii Israel adversum Moysen & Aaron, & versi in seditionem, dixerunt: Da nobis aquam, ut bibamus. Ingressusq; Moyses & Aaron, dimissa multitudine in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atq; dixerunt: Domine Deus, audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati cesset murmuratio eorum: & apparuit gloria Domini super eos.

GRADUALE.

Ultimo festivitatis die dicebat Jesus: Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, Alleluja, Alleluja. ℣. Si quis sitit, veniat ad me & bibat: & de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, Alleluja, Alleluja.

℟. Vox Domini ſuper aquas, Deus Majeſtatis intonuit, vox Domini ſuper aquas multas, Alleluja.

Lectio Sancti Evangelii, ſecundùm Joannem.

In illo tempore (in noviſſimo autem die magno feſtivitatis) ſtabat Jeſus, & clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Exorcismus.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ ſanctum, per Deum totius creatorem, ut te mundam exhibeas contra omnem morbum, atq; inſidias inimici & diabolicas poteſtates: ut ubicunq; aſperſa fueris, ſit propitio Deo defenſa domus ipſa. Et ſicut defenſæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum per ſignum ſanguinis agni: ſic defendantur Domine domus famulorum famularumq; tuarum, per aſperſionem hujus aquæ. In ipſius nomine te exorcizo, qui verbo ſuo fontem te manare præcepit. Et in ipſius nomine te exorcizo, qui filios Iſrael per medium maris eduxit.

xit. In ipsius nomine te exorcizo, qui super te suis sanctis pedibus ambulavit. Et in ipsius nomine te exorcizo, quem Joannes in te baptizavit: ut omnis spiritus erroris & omnes phantasiæ dæmonum per te aspersæ effugiant, & separentur de eodem loco. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Sequitur Exorcismus.

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei Pa✠tris omnipotentis; & in nomine Domini nostri Jesu Christi: ut omnis immundus spiritus, vel incursio Satanæ separetur à te creatura aquæ. Proinde ergo efficiaris aqua exorcizata, ad effugandum omne phantasma inimici: & ipsum inimicum eradicare & effugare valeas, in nomine DEI Pa✠tris omnipotentis: Qui cum eodem Filio suo & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Oratio.

Benedic Domine hanc aquam benedictione cœlesti: & assistat super eam virtus Spiritus Sancti, ut ubicunq; aspersa fuerit, longè recedat virtus inimicorum, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum,

minum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum: omnis denique spiritus procellarum, te ipso benedicente, effugetur. Qui vivis & regnas in seculorum. ℟. Amen.

Oratio super Salem.

Virtutis tuæ invictam fortitudinem deprecor, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, super hoc sal, cui non minimam gratiam conferre dignatus es: ut ex illo possint universa condiri, quæ hominibus ad escam per tuum Filium Dominum nostrum procreari jussisti: per quem te Domine supplices exoramus, ut sal istud sancti ✠ ficare, & bene ✠ dicere, & conse ✠ crare pro tua pietate digneris, ut ex vultu divinæ Majestatis tuæ virtutem tuam contra omnes immundos spiritus possit accipere Expellat de tabernaculis famulorum famularumque tuarum, quidquid potest pestiferum esse, & exhibeat plenum salutis effectum. Deterreat præstigia phantasmataque compescat, per signum sanctæ Cru ✠ cis Filii tui Domini nostri, & tutelam fidelissimam desiderantibus præstet, per hoc tuum Domine Jesu Christe signa ✠ culum, quod nullius dolus, nullius pertinacia designavit. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Alia Benedictio Salis.

Benedico te creatura Salis in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noſter, ut hæc creatura Salis in nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare Sacramentum, ſitque perfecta medicina in viſceribus fidelium tuorum. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Oratio ſuper Salem.

Intuere Domine hanc creaturam Salis, quam uſibus humani generis tribuiſti. Et petimus omnipotens æterne Deus, per ſignum Cru✠cis unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ubicunq; aſperſa fuerit aqua hoc ſale commixta, ſit efficax ad evacuandam omnem adverſariam poteſtatem inimici. Conſumat & arefaciat, nihilq; ibi remaneat immundum, nihil peſtiferum, ſed ad invocationem nominis tui ſit nobis mundum & benedictum. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Exor-

Exorcismus.

Exorcizo te creatura Salis, per Deum verum, per Deum sanctum, per Deum totius Procreatorem: per eum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: Qui per Apostolum Paulum dicere dignatus est: Sit cor vestrum sale conditum. Ideoq; efficere sal ad exorcizandum, ad evacuandum, ad expellendum inimicum, omnemque virtutem & putredinem ejus, in nomine Domini nostri JesuChristi, qui venturus est judicare vivos &c.

Oremus.

Dominus & Salvator noster Jesus, antequam ad cœlos ascenderet, Apostolis suis mandavit, dicens: Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos.

Hic ponat salem in aquam, dicens:

Hæc commixtio salis & aquæ pariter fiat in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti: & in virtute Domini nostri JESU Christi, cui est honor & gloria in secula seculorum. ℟. Amen.

Exorcismus.

Exorcizo te creatura salis & aquæ, in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Exorcizo te per Deum vivum. Exorci-

zo te per Crucifixum. Exorcizo te per Spiritum Sanctum. Per eum te exorcizo, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, dicens: Hæc dicit Dominus: sanabitur aqua ista, & non erit in ea mors, neq; sterilitas. Per ipsius nomen te adjuro, qui divina voce oris sui Apostolicis suis locutus est, dicens: Vos estis Sal terræ, & cor vestrum sit sale conditum: ut omnes qui ex te sumpserint, sint sanctificati in animabus & corporibus. Ut ubicunq; aspersa fueris, effuges inimicum, & præstes omnibus remissionem peccatorum, expallas insidias, & excludas omnes dæmonum tentationes. Tu autem conditor & restaurator omnium elementorum tuorum, qui hæc fluenta tuo nomine sanctificata ad purgationem locorum proficere jussisti, deprecor, ut nominis tui invocata Majestate gratiam Spiritus Sancti hæc aqua accipiat, valeatq; ad expellendas diabolicas artes, per manus servorum tuorum aspersa, & per sanctificationem, quam tu Domine sanctificando sanctificas, & benedicendo benedicis: ut omnis immundus spiritus aspersione hujus aquæ repulsus & confusus discedat, & omnis incursus Satanæ, & omne phantasma, omnisq; immunditia & putredo inimicorum longè recedat. Nec consistendi aut

di aut resistendi habeat potestatem, nec in eodem loco standi aut commorandi, sed victus & destructus abscedat diabolus cum omni pompa sua. Per virtutem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Exorcismus super aquam Sale conspersam.

Exorcizo te creatura aquæ Sale conspersa, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ totius Creatorem, qui te in principio separavit ab arida, & in quatuor fluminibus dividere dignatus est: ut ubicunque portata vel aspersa fueris, effugetur & separetur inimicus & omnis putredo ejus: ut ipsa domus Deo sit dicata, per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Item super aquam.

Te autem creatura aquæ adjuro, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum: Per eum te adjuro, qui te in principio separavit ab arida. Adjuro te per Deum vivum, qui te de fonte paradisi manare fecit, (*hic dividat aquam in quatuor partes,*) & in

quatuor fluminibus exire jussit, & totam terram rigare præcepit. Adjuro te per eum, qui te in Chana Galilææ suâ potentiâ convertit in vinum: qui super te suis sanctis pedibus ambulavit: qui tibi nomen imposuit Syloe. Adjuro te per eum, qui in te Naaman Syrum à sua lepra per manum Elisæi Prophetæ mundavit. Aqua san ✠ cta: aqua bene ✠ dicta: aqua (*hic tangat aquam dicens*) lavans sordes, & mundans peccata. Adjuro te per Deum vivum, ut te mundam exhibeas, nec aliquam phantasiam in te retineas: sed efficiaris exorcizata, ad effugandum inimicum & omnes actus fulguris: ut ubicunque aspersa fueris, sive in domo, sive in agro, sive in vineis, sive in seminatis campis, sive in fructibus, sive in angulis cubiculorum, sive in navibus, sive in puteis, vel si quis ex te gustaverit, fias ei defensio & remedium sanitatis. Ipse quoq; diabolus elongetur & separetur, quantum elongatum est cœlum à terra, lux à tenebris, veritas à mendacio, justitia ab injustitia, dulce ab amaro: tantum elongetur & separetur ille immundus spiritus ab habitationibus famulorum famularumque Dei: Per nomen Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat.

℣. Per

℣. *Per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen.*
℣. *Dominus vobiscum,* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*
℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.*
℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.*
℟. *Dignum & justum est.*

Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubiq; gratias agere, Domine Deus cœli & terræ, cujus virtuti subdita sunt universa, cujus verbo creata sunt omnia. Supermitte, quæsumus, virtutem Spiritus Sancti tui super hanc creaturam, ut fiat aqua sanctificata, in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Te igitur omnipotens Deus, altissima salus & respector perpetuus, humiliter rogamus & petimus, ut nos exaudias, & miseriaris precibus nostris, quatenus ubicunq; hæc aqua aspersa fuerit, fiat te jubente causa purificationis. Habeat quoq; perpetuam gratiam ipsa domus, fidem rectam, spem certam, charitatem perfectam, gaudium verum, honorem perpetuum, ut omnes malevoli & invidi spiritus ab ea expellantur & separentur. Per Christum Dominum nostrum.

Iterumq; te alloquor aqua, quæ lucis similitudinem habes, tu sub cœlo, tu super cœlum, tu sub terra, tu super terram. Super te invoco nomen sanctum atque mirabile DEI omni-

omnipotentis, qui te suâ potentiâ convertit in vinum, suspendit super cœlos, congregavit in terra, miscuit in mari. Qui te arcanis & velocibus ventis pluere præcepit, & ad usus hominum & lavacrum dedit, & sitientibus potum subministravit. Super quam etiam Spiritus Domini non solùm ferebatur, sed etiam fertur. Adjuro ergo te creatura aquæ per septiformem Spiritum DEI vivi. Adjuro te per novem ordines Angelorum. Adjuro te per vocem tonitrui coruscantis, tremendi & cœlestis Regis. Adjuro te per lignum mysterii, de quo aqua percussa statim dulcis facta est. Adjuro te per eum, qui omnia creavit, ne contemnas vocem humilitatis meæ: sed expellas omnem umbram, omnes satellites adversariorum, omnes machinationes diaboli, sive spirituum immundorum, sive damnatorum, sive errantium, sive ex invocatione magicæ artis, sive præcantatorum argumenta, sive draconum, & omnium volucrum vel viperarum, quia imperat tibi Dominus Jesus Christus Filius Dei vivi, quòd mox ut aspersa fueris in nomine Dei Sabaoth, sive in hominibus, sive in domibus, sive in vineis, sive in pecoribus, vel in quibuslibet animantibus, sive in seminatis campis, sive in qualicunque creatura universali,

ſali, vel in quocunq; loco aſperſa fueris, ſive ſuper infirmum, vel languentem, ſive in potum data fueris homini in valetudine depento, aut maligni ſpiritus infeſtatione percuſſo, mox expellas & excludas omne malignum, ut poſſit homo velocius ſalvus fieri: Per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui neq; dici, neq; ſcribi, neq; computari poteſt, cui nomen eſt DEUS. Tu autem Domine, qui per Angelum tuum fontem Agar oſtendiſti, & ex eo Iſmaelem ſitientem potâſti. Qui pueri tui Abrahæ in Meſopotamia preces exaudiſti, & omnia deſideria cordis ejus implêſti. Qui famulo tuo Moyſi in deſerto eremi petram percutere, & ex ea aquam producere & populum rigare juſſiſti.

Ter dicatur ſequens verſus Crucem in aquam immergendo.

Qui aquam amaram immiſſo ligno dulcorâſti, benedicere & ſanctificare digneris hanc creaturam aquæ: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti.

Deinde Sacerdos dicit. Ut ubicunque.

Antiphona.

Baptizatur Chriſtus, & ſanctificatur omnis mundus, & tribuit nobis remiſſionem peccatorum, aqua & ſpiritu omnes purificamur.

Anti-

Antiphona.

Baptizat miles Regem, ſervus Dominum ſuum, Joannes Salvatorem, aqua Jordanis ſtupuit, columba proteſtatur, paterna vox audita eſt: Hic eſt Filius meus.

Sacerdos proſequatur.

Ut ubicunq; aſperſa fuerit in nomine tuo, omnes ſævas inimici jaculationes expellat. Illud etiam rogamus & petimus, Deus omnipotens, ut ſicut ad domum Raguelis ſanctum Angelum tuum Raphaelem mittere dignatus es, ut Aſmodæum dæmonem colligaret: ſimile quoq; beneficium domibus noſtris donare digneris, ut ubicunq; hæc unda aſperſa fuerit, nunquam malignus ſpiritus in eadem domo conſiſtendi vel commorandi habeat poteſtatem, ſed confuſus protinus & deſtructus abſcedat per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, cœli cœlorumque virtutes ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras vices ut admitti jubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Oſanna in excelſis.

Pro-

Prosequitur Sacerdos.

Exorcizo te ſpiritus immunde per Deum vivum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, ut omnes virtutes adverſarii, omnes exercitus diaboli, omnes incurſus & omnia phantaſmata inimici eradicentur: & effugiant ab hac creatura ſalis & aquæ, ut ſit ſancta & ſalutifera, & ignis ardens adverſus omnes inſidias eorum. Ut ubicunq; portata vel aſperſa fuerit hæc creatura ſalis & aquæ, ſit ſanitas, ſinceritas & corporis medicina, ut effugiat omnis infirmitas. Fulgura quoque & grandines ab aſperſione hujus aquæ ſeparentur, & effugiant, & elongentur. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

Verè ſanctus, verè benedictus, terribilis, metuendus & adorandus es Domine DEUS noſter: ab occultis noſtris munda nos, & ab alienis parce ſervis tuis: ut cum fiducia valeamus dicere orationem illam regalem, quam Dominus & Salvator noſter per Evangelium ſuum orare docuit, dicens:

Pater noſter &c *Usq; ad illud.*

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*

Libera nos, quæſumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus & futuris.

Libera

Libera nos, quæſumus Domine, famulos & famulas tuas à gladio, à fame, à tentatione diaboli, à percuſſione ſeculi, & ab infirmitatibus malis. Per Liberatorem & Redemptorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui vivit & regnat &c.

Oratio.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob: exorcizante me iſtam creaturam ſalis & aquæ precor te, ut me exaudire digneris in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni, Filii Dei vivi, Regis & Judicis noſtri: ut ſit purgatio & purificatio omnibus hominibus, atque in eis, in quibus aſperſa fuerit, habeat poteſtatem ad effugandos immundos & phantaſmaticos ſpiritus, & omnem nefarium diabolum, atque omnes figuras & minas Satanæ. Concedatur etiam ei poteſtas ad exterminandum fulgura & grandines, & omnes adverſitates humanæ naturæ, ut non poſſit immundus ſpiritus nocere his locis, in quibus aſperſa fuerit, ſed confuſus & deſtructus abſcedat: Per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti Regis noſtri, qui cum Deo Patre vivit & regnat in ſecula ſeculorum.

Adjuro te creatura ſalis & aquæ nomine Pa-

ne Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Adjuro te in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſuper te ſuis ſanctis pedibus ambulavit. Adjuro te per eum, qui te de fonte paradiſi produxit. Adjuro te per eum, qui Apoſtolis ſuis præcepit, dicens: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Per ipſius nomen te adjuro, ut ubicunq; aſperſa fueris, omne phantaſma de domo ipſa, & omnis incurſio diaboli eradicetur & effugiat, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ totius creatorem. Ut neq; hominibus, neq; domiciliis, neq; navibus, neq; pecoribus, neq; frugibus, neq; arboribus noceas. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Oratio.

Deus, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene ✠ dictionis infunde, ut creatura tua myſteriis tuis ſerviens, ad abigendos dæmones morboſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum, ut quidquid in domibus vel

in locis Fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens: diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici: & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat atq; diſcedat: ut ſalubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus impugnationibus ſit defenſa. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem.

Benedictio Dei Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ, Amen.

Hic Sacerdos aſpergat aquam ſuper ſe & populum, dicens,

Antiphona.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Pſalmus 50.

Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Deinde dicat:

℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.*
℟. *Et ſalutare tuum da nobis.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Do-*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Præſta, quæſumus Domine, famulis tuis per hanc aſperſionem aquæ benedictæ ſanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, charitatis fructum, hic & in æterna ſecula ſeculorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

Exaudi nos Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.

℟. *Gloria tibi Domine.*

FActum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum: Et vox de cœlo facta eſt: Tu es Filius meus Dilectus, in te complacuit mihi. Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta,

ginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Thosan, qui fuit Helmaden, qui fuit Her, qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorin, qui fuit Mathath, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliachim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna; qui fuit Mathathiæ, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naason, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusalem, qui fuit Enoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam,

qui fuit Dei. Jesus autem plenus Spiritu Sancto egressus est à Jordane.

Quo finito Sacerdos dicat Te Deum Laudamus &c. *usque ad finem*

Benedictio Cretæ.

℣. Adjutorium &c.

Bene ✠ dic Domine Deus creaturam istam cretæ, ut sit salutaris humano generi, & præsta per invocationem nominis tui sanctissimi, ut quicunq; ex ea sumpserint, vel eâ in domus suæ portis scripserint nomina Sanctorum tuorum Caspari, Melchioris & Balthasari, per eorum intercessionem & merita corporis sanitatem & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Benedictio Candelarum in Festo S. Blasii Episc. & Martyris.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens & mitissime Deus, qui omnium mundi rerum diversitates solo Verbo creâsti, & ad hominum reformationem illud Verbum, per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti: qui magnus es & immensus, terri-

terribilis atq; laudabilis, ac faciens mirabilia: Pro cujus fidei confessione gloriosus Martyr & Pontifex Blasius diversorum tormentorum genera non pavescens, martyrii palmam feliciter est adeptus: quiq; eidem inter cæteras gratias hanc prærogativam contulisti, ut quoscunq; gutturis morbos tuâ virtute curaret: Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut non inspectu reatus nostri, sed ejus placatus meritis & precibus, hanc Ceræ creaturam bene ✠ dicere ac sancti ✠ ficare tua venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo, ut omnes, quorum colla per eam ex bona fide tacta fuerint, à quocunq; gutturis morbo ipsius passionis meritis liberentur. Et in Ecclesia sancta tua sani & hilares tibi gratiarum referant actiones, laudentque nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in secula saculorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Aspergantur aquâ benedictâ. Deinde Sacerdos terminat à Missâ, depositâ Casulâ & Manipulo, accensis duobus Cereis, at in modum Crucis aptatis, apponens illa sub mento gutturi cujusvis benedicendorum, ipsis ante Altare genuflectentibus dicat:

Per intercessionem S. Blasii Episcopi & Martyris liberet te Deus à malo gutturis, & à quolibet alio. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Bene-

Benedictio panis & vini in Festo S. Blasii Episc. & Martyris.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Sit nomen Domini benedictum.*
℟. *Et hoc nunc & usq; in seculum.*
℣. *Ora pro nobis B. Blasi.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Salvator mundi Deus, Domine Jesu Christe, qui hodiernam diem B. Blasii martyrio consecrâsti, & diversas creaturas ad salutem hominum creâsti, quique ex quinq; panibus & duobus piscibus quinque millia hominum satiâsti, ac populum Judaicum in deserto miraculosè pavisti, ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus & petimus, ut hos panes, quos plebs fidelis tibi devotè hodie ad sanctificandum attulit, tua pietate bene✠dicere & sancti✠ficare digneris, ut qui ex eis gustaverint vel comederint, ab omni gutturis plaga & totius corporis infirmitate, meritis & intercessione ejusdem B. Blasii Martyris tui, plenam recipiant sanitatem, & nos servos tuos ab omni corporis & animi ægritudine sanos conserves. Qui vivis & regnas &c. Amen.

Benedictio domus à dæmone vexatæ.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè ab eis agitur, â te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modò visitaturi sumus, visites, & quicquid benedicturi, benedicas, & ad ea, quæ acturi sumus, dexteram tuæ potentiæ extendas: fiatque ad nostræ humilitatis ingressum & introitum, sanctorum tuorum meritis, fuga Dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Procedit per loca domus, aspergendo aquâ benedictâ, & dicendo primos quinque Psalmos Graduales.

Psalmus 119.

AD Dominum cùm tribularer clamavi: & exaudivit me.

Domine libera animam meam à labiis iniquis: & à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam. Sagit-

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri &c.

Psalmus 120.

LEvavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino; qui fecit cœlum & terram

Non det in commotionem pedem tuum: neq; dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neq; dormiet: qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & usque in seculum.

Gloria Patri &c.

Psalmus 121.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio: super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri: quæsivi bona tibi.

Gloria Patri &c.

Psalmus 122.

AD te levavi oculos meos: qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum: in manibus Dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ:

ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multùm repleti ſumus deſpectione.

Quia multùm repleta eſt anima noſtra: approbrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 123.

NIſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael: niſi quia Dominus erat in nobis.

Cùm exurgerent homines in nos: fortè vivos deglutiſſent nos.

Cùm iraſceretur furor eorum in nos: forſitan aqua abſorbuiſſet nos.

Torrentem pertranſivit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus: qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt: de laqueo venantium.

Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus.

Adjutorium noſtrum in nomine Domini: qui fecit cœlum & terram.

Gloria Patri &c.

Finitis Psalmis consistat alicubi, & dicat:

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson Pater noster.

℣. *Et ne nos inducas* ℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domum tuam Domine clementer ingredere, & in tuorum tibi corde fidelium perpetuam construe mansionem: & præsta, ut in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur nequitia, per Christum Jesum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit in secula seculorum. Amen.

Procedat ulterius aspergendo, & dicendo alios quinque Psalmos Graduales.

Psalmus 124.

QUi confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem,

Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in seculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad inquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis: & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, addu-

cet

cet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax ſuper Iſrael.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Converte Domine captivitatem noſtram: ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſeminant in lachrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant: mittentes ſemina ſua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos ſuos.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 126.

NIſi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem: fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Vanum eſt nobis ante lucem ſurgere: ſur-

gite

gite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum: Ecce hæreditas Domini, filii; merces fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filii excuſſorum.

Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivarum: in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſrael.

Gloria Patri &c.

Pſal-

Psalmus 128.

SÆpe expugnaverunt me à juventute mea: dicat nunc Israel.

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: perlongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum: confundantur & convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam evellatur, exaruit.

De quo non implevit manum suam qui metit: & sinum suum qui manipulos colligit.

Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri &c.

Quibus finitis consistat, & dicat Kyrie eleyson &c. *ut suprà.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris, ut hujus domus sis protector, & nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat: sed virtute Spiritus Sancti fiat tibi hic purum servitium, & devota libertas existat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro-

Procedat tertiò per reliquas partes domus, dicendo alios quinque Psalmos Graduales.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri &c.

Psalmus 130.

DOmine, non est exaltatum cor meum: neq; elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis: neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea.

Spe-

Speret Iſrael in Domino: ex hoc nunc & uſque in ſeculum.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 131.

MEmento Domine David: & omnis manſvetudinis ejus.

Sicut juravit Domino: votum vovit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ: ſi aſcendero in lectum ſtrati mei.

Si dedero ſomnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino: tabernaculum DEO Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis Silvæ.

Introibimus in tabernaculun ejus: adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.

Surge Domine in requiem tuam: tu, & arca ſanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur juſtitiam: & ſancti tui exultent.

Propter David ſervum tuum: non avertas faciem Chriſti tui.

Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum: & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filii eorum usq; in ſeculum: ſedebunt ſuper ſedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion; elegit eam in habitationem ſibi.

Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus ſaturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam ſalutari: & ſancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: paravi lucernam Chriſto meo.

Inimicos ejus induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 132.

ECce quàm bonum & quàm jucundum: habitare fratres in unum.

Sicut ungventum in capite: quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.

Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: & vitam usq; in ſeculum.

Gloria Patri &c.

Pſal-

Psalmus 133.

ECce nunc benedicite Dominum : omnes ſervi Domini.

Qui ſtatis in domo Domini : in atriis domus DEI noſtri.

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta : & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion : qui fecit cœlum & terram.

Gloria Patri &c.

In fine Kyrie eleyſon &c. *ut ſuprà.*

Oremus.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ dedicator aſſiſtis, exaudi nos quæſumus, ut inviolabilis hujus domus permaneat benedictio : & beneficia tui muneris ſupplicantes mereantur. Per Chriſtum &c.

Tandem in Principaliori loco domus legatur Evangelium.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo;

Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam.

IN illo tempore ingreſſus Jeſus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus : & hic erat Princeps publicanorum, & ipſe dives, & quærebat videre Jeſum quis eſſet, & non poterat præ turba, qui ſtaturâ puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in ar-

borem Sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum. Et dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent, omnes murmurabant, dicentes: quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Jesum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum: quia hodie salus domui huic facta est: eò quòd & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.

Quô lectô benedicitur incensum.

Per intercessionem B. Michaëlis Archangeli stantis à dextris Altaris incensi, & omnium Sanctorum Angelorum, incensum istud digneris Domine bene✠dicere, & in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ponit Sacerdos incensum super ignem dicens:

℣. *Incensum à te benedictum ascendat ad te Domine.*

℟. *Et descendat super nos misericordia tua.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Ore-

Oremus.

Visita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant: & benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum &c.

Aspergat locum & habitantes in modum crucis, dicens:

Benedictio Dei Omnipotentis Patris ✠ & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super domum istam, & in ea habitantes, ac maneat semper. Amen.

Benedictio Avium.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus universæ creaturæ, qui inter cæteras diversarum creaturarum species, & pro humani generis usu etiam volatilium genus ex aqua producere dignatus es, ex quibus Noë de arca egrediens holocausta tibi offerens placuit, & qui populo tuo ex Ægypto educto per Moysen servum tuum, munda ab immundis segregans edendi præceptum dedisti: te supplices rogamus, ut has mundarum avium carnes bene✠dicere & sancti✠ficare

care digneris, ut quicunq; ex eis comederint, benedictionis tuæ abundantiâ repleantur, & ad æternæ vitæ gaudia pervenire mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ.

Benedictio Liliorum in Festo S. Antonii de Padua.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Dèus, à quo omne bonum sumit initium, & semper ad potiora progrediens percipit incrementum: concede, quæsumus, supplicantibus nobis, ut quo ad laudem nominis tui inchoare aggredimur, æterno tuæ paternæ sapientiæ munere perducatur ad terminum. Per Christum &c.

Posteà,

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sestinebit, & alterum contemnet. Non potestis DEO servire & mammonæ Ideò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ,

ſtræ, quid manducetis, neq; corpori veſtro, quid induamini. Nonne anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum? Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit illa, Nonne vos magis pluris eſtis illis? Quis autem veſtrum cogitans, poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: Non laborant, neque nent. Dico autem vobis; quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt; Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. ℟. *Laus tibi Chriſte.*

℣. *Juſtus germinabit ſicut Lilium.*

℟. *Et florebit in æternum ante Dominum.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus creator & conſervator generis humani, candidæ puritatis amator, dator gratiæ ſpiritualis, & largitor æternæ ſalutis, bene✠dictione tuâ ſanctâ bene✠dic hæc Lilia, quæ pro gratiis exſolvendis, in honorem S. Antonii Confeſſoris tui, ſupplices hodie præſentamus, & petimus benedici. Infunde in eis ſalutari ſignaculo ſanctiſſimæ ✠ Crucis rorem cœleſtem. Tu benigniſſime, qui ea ad odoris ſuavitatem & depellendas infirmitates humano uſui tribuiſti, tali virtute decora, reple, confirma, ut quibuscunque morbis appoſita, ſeu in domibus locisq; poſita, vel à quovis cum devotione ſecum portata fuerint, languores fugentur, diaboli contremiſcant, & recedant pavidi cum ſuis miniſtris de habitationibus illis, nec unquam tibi ſervientes inquietare præſumant; eodem Divo famulo tuo glorioſo, nec non & miraculoſo, pro nobis intercedente. Per Dominum noſtrum &c.

Aſpergantur. Deinde flexis genibus dicatur:

Si quæris Miracula, Mors, Error, Calamitas, Dæmon, Lepra fugiunt, Ægri ſurgunt ſani. Cedunt Mare, Vincula, Membra, resque perditas petunt & accipiunt juvenes & cani. Pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas, narrent

narrent hi qui ſentiunt, dicant Paduani: Cedunt Mare, Vincula, Membra, resq; perditas petunt & accipiunt juvenes & cani. Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. Cedunt Mare, Vincula, Membra, resq; perditas petunt & accipiunt juvenes & cani.

℣. *Ora pro nobis B. Antoni.*

℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Oremus.

Subveniat plebi tuæ, quæſumus Domine, præclari Confeſſoris tui B. Antonii devota & jugis deprecatio, quæ in præſenti nos tuâ gratiâ dignos efficiat, & in futuro gaudia donet æterna. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Benedictio Terræ ſeminatæ quocunque ſemine.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo*

Oremus.

Bene✠dicat nos Deus, Deus noſter, & terræ ubertatem concedat, in centuplum amplificet fructus ejus, ut viventes cum exultatione manipulos noſtros colligamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Benedictio Arborum & fructuum earum.

℣. Adjutorium nostrum. ℟. Qui fecit cælum.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui hujus Arboris plantam tua visitatione & tua providentia prodectam esse voluisti: nunc etiam eandem bene ✠ dicere & sancti✠ficare digneris, ut quicunq; ex fructibus ejus sumpserint, sani & incolumes esse valeant. Per Christum &c.

Oremus.

Bene ✠ dic Domine hunc novum fructum arborum, & præsta, ut qui ex eo in tuo nomine vescentur, corporis & animæ sanitate potiantur. Per Christum &c.

Benedictio fructuum quorumcunque.

℣. Adjutorium nostrum. ℟. Qui fecit cælum.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oratio.

Domine Jesu Christe, Deus de Deo, qui famulum tuum B. Blasium Martyrio consecrâsti, & B. Ubaldum & Antonium Paduanum in gloria tua collocâsti, bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare digneris tua pietate hos fructus,

ctus, quos indignè detulimus, per tui S. Nominis invocationem, & per intercessionem Beatissimæ MARIÆ Virginis, & B. Ubaldi, ac Antonii Paduani servi tui: bene✠dic sicut & ego bene✠dico & sancti✠fico hos fructus, ad profectum præsentis Familiæ, atq; omnium fidelium, præsentium & absentium, provenire concede, ut in quocunque loco deportati fuerint, salvi maximè à dolore gutturis & aliorum dolorum efficiantur, & omnes iniquitates sive illusiones Dæmonum ab eorum habitaculis abscedant, & quicunque ex eis tenuerint & gustaverint, tuâ gratiâ & benedictione repleantur. Qui vivis & regnas &c.

Aspergantur &c.

Benedictio Panis novi.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

Oremus.

Bene✠dic Domine creaturam istam Panis, sicut benedixisti quinq; panes in deserto: ut sit donum ejusdem in annuum alimentum, gustantesque ex eo accipiant tam corporis quàm animæ salutem. Per Christum &c.

Aspergatur &c.

Benedictio Orizarum.

℣. *Adjutorum nostrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo*

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, mitte Spiritum Sanctum tuum cum Angelis & Archangelis, & cum eis omnes Sanctos & Electos, ut custodiant hos fructus orizarum à vermibus malis sive avibus, ut magnificetur nomen tuum. Per Christum Dominum &c.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundùm Lucam.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quia amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, & ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi: & si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi, eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi, quot-

quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cùm sitis mali, nôstis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se?

℟. *Laus tibi Christe.*

Psalmus 124.

QUi confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in seculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

Gloria Patri &c.

Kyrie

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie. eleyſon Pater noſter &c.

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Salvos fac ſervos tuos.*

℟. *Deus meus ſperantes in te.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.*

℣. *Dominus dabit benignitatem.*

℟. *Et terra noſtra dabit fructum ſuum.*

℣. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

℣. *Domine exaudi orationem* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Te Domine petimus & rogamus, ut hos fructus orizarum tuis oculis ſerenis hilariq; vultu reſpicere digneris, ſicut olim teſtatus es Moyſi famulo tuo in terra Ægypti, dicens: Dic filiis Iſrael, cùm ingreſſi fuerint terram promiſſionis, quam eis daturus ſum, ut primitias offerant Sacerdotibus, & erunt benedictæ fruges: ita nos oramus te Domine, ut auxilium gratiæ tuæ ſuper nos & hos fructus Orizarum ad bene ✠ dictionem proferendam concedas, ut non grando ſurripiat, non turbo ſubvertat, non tempeſtas detruncet, non aëris ſerenitas exurat, non inundatio pluviarum exterminet, ſed incolumes ſuperabundanter,

danter, propter uſum hominum, ad pleniſſimam maturitatem perducere digneris. Per Chriſtum &c.

Aſpergantur &c.

Benedictio Cereviſiæ, & communis ad alios potus.

℣. *Adjutorium.*

Oremus.

Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis, tu Domine mitte Spiritum S. tuum cum ſuperna bene ✠ dictione ſuper hanc creaturam N. ut armata virtute cœleſtis defenſionis illis, qui eâ fruentur, proficiat ad corporis & animæ ſalutem ac tutelam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Benedictio Ignis.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Bene ✠ dico te creatura Ignis, atq; ſancti ✠ fico per eum, qui te creavit, qui famulo tuo Moyſi apparuit igneâ formâ in Rubo. Bene ✠ dico & exor ✠ cizo, atq; con ✠ juro te, ô creatura ignis, per eum, qui fecit orbem treme-

tremere, & omnia poteſt, ut adverſus infernales prædones ſis mihi adjutorium, eosque in nomine Jeſu & S. Ubaldi, ac S. Antonii de Padua affligas, excrucies, & exuras igne gehennæ ſulphureæ. Sic tu Domine bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris hanc creaturam ignis, ut ardens dæmones, & omnia opera ſua & maleficia, cujuscunque generis ſint, comburat, deſtruat & annihilet, quæ facta ſunt, & facta fuerunt: quæ omnia in nomine tuo ô Domine deſtruo & annihilo ſemper, obſecrans humiliter tuam omnipotentem pietatem, ut huic creaturæ ignis eam virtutem conferre tua benignitate digneris, quæ malignis ſpiritibus, non ſolùm infernalium pœnarum, amaram recordationem efficiat: verùm etiam eos (pro eorum in te & in nos miniſtros tuos contumacia) excruciet, exterminet & expellat, & ſic bene ✠ dico & ſan cti ✠ fico hanc creaturam ignis. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Domine Deus noſter omnipotens, lumen indeficiens, conditor omnium hominum, exaudi nos famulos tuos, & bene ✠ dic hunc ignem, qui tua ſanctificatione & benedictio ✠ ne conſecratus eſt. Tu qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illu-

illumina tenebras cordis noſtri, & conſcientias noſtras igne tuæ charitatis, ut tuo lumine igniti, tuo lumine illuminati, expulſis à cordibus noſtris peccatorum tenebris, ad vitam te illuſtrante pervenire mereamur. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur &c.

Benedictio Piſcinæ & Piſcium.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Dominus vobiſcum,* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens æterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pater miſericordiarum, qui piſces in fluminibus maris creſcere & multiplicare dignatus es: præſta quæſumus, ut hos parvos piſciculos in iſtam piſcinam impoſitos creſcere & multiplicare tuâ gratiâ digneris. Per Dominum noſtrum &c.

Creſcite & multiplicamini vos parvi piſciculi, & replete iſtam piſcinam in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Dominus det vobis ſuam benedictionem Amen.

Oremus.

Deus omnipotens, qui hanc creaturam piſcium ex aquarum fluctibus in mundi principio prodire juſſiſti, quam inter cæteras creaturas tuo ore benedictio dignatus es benedi-

cere, & de qua post assumptam humani generis formam unigenitus Filius tuus coram Discipulis suis assa igni comedere voluit, ad insinuandum nobis suæ passionis cruciatus, bene✠dic etiam hos cibos piscium, & præsta nobis, ut qui de passione Domini nostri Jesu Christi & ardore tribulationis sumus excocti, de ineffabili ejus resurrectione refrigerati, pane cœlesti lætemur. Per eundem Dominum &c.

Benedictio pro copiosa Piscatione.

℣. Adjutorium nostrum. ℟. Qui fecit cælum.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Psalmus 8.

DOmine Dominus noster: quàm admirabile est nomen tuum in universa terra.

Quoniam elevata est magnificentia tua: super cœlos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: ut destruas inimicum & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & stellas, quæ tu fundâsti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minu-

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves & boves universas, insuper & pecora campi.

Volucres cœli, & pisces maris: qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra.

Gloria Patri &c.

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Magnifica quæsumus Domine ✠ DEUS super nos misericordiam tuam, & sicut multiplicàsti quinq; panes & duos pisces in deserto, ex quibus satiasti turbam quinq; millia hominum: ita nunc potentissima ac providentissima bene✠dictione multiplicate dignare ad esus humanos cunctos pisces, qui ex hac aqua generantur; ut tua liberalitate refecti tibi gratias agere, & nomen tuum perpetuò laudare valeamus. Per Dominum nostrum &c.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia Sancti Evangulii secundùm Joannem.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore manifestavit se iterum Jesus Discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic. Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex Discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus: vado piscari; Dicunt ei: venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in navim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto stetit Jesus in littore, non tamen cognoverunt Discipuli, quia Jesus est. Dixit ergo eis Jesus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Et dixit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miserunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo Discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunicâ succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare. Alii autem Discipuli navigio venerunt, non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium; ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum & panem. Dixit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon

Simon Petrus,& traxit rete in terram plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Dicit eis Jeſus: venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum, Tu quis es? ſcientes, quia Dominus eſt. Et venit Jeſus, & accipit panem, & dat eis; & piſcem ſimiliter. Hoc jam tertiò manifeſtatus eſt Jeſus Diſcipulis ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis.

Dicatur Canticum Benedicite omnia opera Domini Domino &c. *Et Pſalmus,* Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis &c. *totum: & poſtea Evangelium Lucæ ut ſequitur.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore, cùm turbæ irruerent in Jeſum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth. Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum. Piſcatores autem deſcenderant, & lavabant retia. Aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum, ut à terra reduceret puſillum. Et ſedens docebat de navicula turbas. Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in

in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cæpimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos: & venerunt, & impleverunt ambas naviculas. ℟. *Laus tibi Christe.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo*

Oremus.

Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, à quo bona cuncta procedunt, sine quo nihil est validum: te supplices exoramus, ut bene✠dicendo bene✠dicas rore tuæ gratiæ cœlestis hanc aquam, ut commodè ad usus fidelium tuorum multitudinem piscium ex ea extrahentes, te summum Rectorem, Gubernatorem & Dispensatorem agnoscant, diligant & venerentur. Rogamus etiam te Domine, labores manuum servorum tuorum ne despicias, sed tua sanctissima bene✠dictione ab eis cuncta noxia submoveas, & omnia eis bona profutura concedas. Per Dominum nostrum &c.

Dicatur Antiphona Beata Mater. *Et Canticum* Magnificat. *Et dum dicitur, aspergatur latitudo piscationis prout fieri poterit aquâ benedictâ & posteà repetatur Antiphona:*

Beata

Beata Mater, & intacta Virgo Gloriosa, Regina Mundi, intercede pro nobis ad Dominum.
℣. *Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oremus.

Deus, qui Virginalem aulam Beatæ MARIÆ, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæsumus, ut suâ nos defensione munitos. Jucundos facias suæ interesse commemorationi. Qui vivis & regnas &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super hanc aquam, super hæc retia, super nos omnes, & maneat semper. Amen.

Iterum aspergatur &c.

Benedictio novi Putei.

℣. *Adjutorum nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Supplices deprecamur Domine clementiam pietatis tuæ, ut aquam Putei hujus cœlesti bene✠dictione sanctifices, ad communem vitæ usum concedas esse salubrem, & ita ex ea fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incursum: ut quicunq; ex ea hauserint vel biberint, vel in quibuscunque necessariis casibus haustâ aquâ usi fuerint, totius virtu-

tis ac ſanitatis dulcedine perfruantur, ut tibi Sanctificatori, & Salvatori omnium Domino, gratias agere mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui in hujus Putei alitudinem, per crepidinem fiſtularum, copiam aquarum manare juſſiſti: præſta, ut te jubente atq; bene ✠ dicente, per noſtræ ✠ officium functionis, repulſis hic phantaſmatibus, calliditatibus, atq; inſidiis diabolicis purificatus atq; emendatus ſemper hic Puteus perſeveret. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur &c.

Benedictio Salis, quod datur Animalibus.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus inviſibilis & inæſtimabilis, pietatem tuam per ſanctum ac tremendum Filii tui Nomen ſuppliciter deprecamur, ut in hanc creaturam Salis bene ✠ dictionem & potentiam inviſibilis operationis infundas, ut animalia, quæ neceſſitatibus humanis tribuere dignatus es, cùm ex eo acciperint vel guſtaverint,

bene-

bene ✠ dictio & sancti ✠ ficatio tua ab omni ægritudinis & læsionis incursu te protegente custodiat. Per eundem &c.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, defende, quæsumus, omnia animalia nostra per hanc creaturam Salis: Defende piissimè à raptoribus, à latronibus, à bestiis, à scabio, à morbo, à morsibus, à laqueis, à diabolo, ab infirmitate, ab invidia & malitia pravorum, à malis hominibus, à malis oculis, à veneficiis, ab aurispicibus, & ab omnibus malis: & animalia, quæ morbis & infirmitatibus vexantur, per hanc creaturam Salis & per invocationem sancti Nominis tui sanare digneris. Per Christum &c.

Aspergantur &c.

Benedictio Maleficiati.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Bene ✠ dicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, convertat vultum suum ad te, & det tibi pacem. Dominus bene ✠ dicat tibi N. & liberet te ab omni malo, & ab omnibus insidiis inimicorum. Dominus Jesus ✠ Christus

apud te ſit, ut te defendat: intra te ſit, ut te conſervet: ante te ſit, ut te deducat: poſt te ſit, ut te cuſtodiat: ſupra te ſit, ut te bene- ✠ dicat, & liberet te ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligationibus, ſignaturis & facturis. Dominus ✠ Jeſus Chriſtus te abſolvat ab omni vinculo facturæ & maleficii, per virtutes & potentias ſpirituum malignorum tibi facto, ut nocere tibi non poſſit, ſive ſit in ære, aut in plumbo, aut in argento, aut in auro, aut in aliquo filato bombacino, vel ſerico, vel linteo, vel in oſſibus hominum mortuorum, vel viventium, vel animalium terreſtrium, vel volatilium, aqueorum, & ſi eſt in libro, vel in charta, etiam virginea, vel in aliquo ligno, vel aliquibus verbis, vel in herbis, vel in capillis, vel in lapidibus, vel in plumis, vel in lana, vel in paleis, vel in quibusvis creaturis; & ſi eſt in ſepulchro Hebræorum, Paganorum, Hæreticorum, vel Chriſtianorum, & ſi eſt in agro, vel vinea, vel in horto, vel in pratis, vel nemoribus, aut in montibus, vel in ſuperciliis montium, vel in vallibus, vel in cavernis, vel in fontibus, vel extra, & ſi eſt ab oriente, vel occidente, vel ſeptentrione, vel meridie, vel in veſtimentis, vel cincturis, vel in trivio, aut in domo, vel domibus, vel in pariete, vel in thoro,

thoro, aut insuper, aut desuper, in rebus domus, vel in strato, aut in arbore, aut in fovea, aut in puteo, vel in cisterna, aut in profunda abysso, aut in sylva, vel spelunca solitaria, aut in deserto, vel in divisionibus marium, vel fluminum, vel in statua, vel in clausura ferrea, vel lignea, vel in conjunctura membrorum, vel consumptum per ignem, vel potatione, vel comestione, vel tactu, vel visu, vel odoratu, vel auditu, vel quocunq; loco sit, quomodocunq; aut qualitercunque factum sit, etiam ad mortem: terminetur, dissolvatur, eradicetur, & sub quibus verbis & rebus, quæ omnia nocere tibi non possint, & non habeant potestatem super te N. nec in die, nec in nocte, neq; orando, neq; vigilando, neq; dormiendo, neque sedendo, neque stando, neq; tua naturalia exercendo, nec in nova, nec in veteri lege, nec in ulla hora diei, neq; noctis, neq; habeant potestatem intrandi domum tuam, nec ullâ figurâ appareant. Dominus Jesus Christus solvat & liberet te N. ab omnibus malis tentationibus, phantasmatibus, ab omni factura & potestate diabolica, & ab omni vinculo maleficii, & ab omnibus periculis animæ & corporis. Per nomen Dei, qui est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Rex magnus glorificatus & adoratus,

ratus, vivificatus in cœlo & in terra. Aperiat tibi Deus januam dilectionis suæ coram omnibus sanctis Angelis suis, videlicet Michaele, Gabriele, Raphaele, Cherubim & Seraphim, omnibus Angelis & Archangelis, Thronis, Dominationibus, Principatibus, Potestatibus, & Virtutibus cœlorum, & Beatorum Spiritum, & per Sanctum Joannem Baptistam, & per omnes Patriarchas atque Prophetas, per orationes & merita Apostolorum & Evangelistarum, & per orationes omnium Sanctorum & Sanctarum. Per sua sancta nomnia Jesus ✠ Christus te N. liberare dignetur, Christus vincit, ✠ Christus regnat, ✠ Christus imperat, ✠ Christus ✠ ab omni malo te defendat. Amen.

Aspergat aquâ benedictâ.

Benedictio incensi, ut storacis & aliorum odoriferorum.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Exorcizo te creatura incensi, vel storacis, vel sulphuris, per Deum vivum, ✠ per Deum verum, ✠ per Deum Sanctum, ✠ & per S. Ubaldum, & S. Antonium de Padua flagellum inferni, & per eum, qui omnia ex nihilo creavit, & expulit pravos Angelos de

cœlo

cœlo ad iſta inferiora, & per omnia nomina Dei, & per nomen Beatiſſimæ Virginis, & S. Ubaldi, ac S. Antonii Paduani te conjuro & exorcizo ô creatura incenſi, ſtoracis, vel ſulphuris, & per omnia ſupradicta, ut ſis in defenſionem noſtram, & efficiaris fumigatio, & creatura benedicta ✠ & conſecrata, ✠ & perpetua pœna ſis omnibus malignis ſpiritibus infernalibus, & ſis ſolutio omnium ligaminum. Domine Jeſu bene ✠ dicere & ſancti✠ficare digneris per tuam clementiam & pietatem hanc creaturam incenſi, vel ſtoracis, ut ſit defenſio contra omnes ſpiritus malignos, & expulſio facturarum; in quem locum odor hujus incenſi venerit ſive adfuerit, nullus ſpiritus, nulla incantatio, & nullum maleficium, vel factura & nulla moleſtia malignorum poſſit durare neq; ſtare modo aliquo, ſed ſtatim omnia diabolica fugiant procul per ſignum S. Crucis ✠. Amen.

Bene✠dic Domine, hanc creaturam incenſi, vel ſtoracis, ad effugandos dæmones, & omnia aſperſa ſua, per ſervum tuum Ubaldum, & S. Antonium de Padua, quibus dediſti virtutem ad effugandos dæmones; nam ego N. Sacerdos tuus bene✠dico te creatura incenſi, vel ſtoracis, & ſancti ✠ fico per eum, quem cœlum & cœli cœlorum capere non poſſunt,

possunt, ut in odore hujus incensi, vel storacis, benedicatur domus, locus & cubiculum: ita ut nullus spiritus possit stare, ubicunque hic odor est, sed fugiat confusus: & domum, locum atq; cubiculum, ubi fuerit talis odor, bene ✠ dico, sanctificato, & benedictionibus cœlestibus repleo, ut sit domus, locus & cubiculum Dei, sit palatium Christi, sit habitaculum Spiritus Sancti, & ut quisquis suffumigatus fuerit his rebus benedictis, benedicatur & sanctificetur. Te humiliter precor Domine Jesu Christe, ut hanc creaturam incensi, storacis, vel sulphuris, quam in nomine tuo puri ✠ fico, bene ✠ dico, sancti ✠ fico, tua sancta virtute digneris corroborare, ut odore hujus fugiant dœmones cum omnibus suis facturis & armis, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Aspergat aquâ benedictâ.

Benedictio Balnei pro Maleficiatus.

Exor ✠ cizo te unda balnei per Deum Pa✠trem, per Deum Fi✠lium, per Deum Spiritum ✠ Sanctum, per Deum, qui simile lavacrum Moysi servo suo fieri mandavit, dicens: facias labium æneum cum basi sua ad lavandum; per Deum, qui lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo; per Deum, qui

nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti in filios adoptionis accepit, ne tibi aliquid commune sit cum spiritibus immundis, sed sanctificeris, ut sis Christi Fidelium purgatio, & immundorum spirituum abdicatio, atq; maleficiorum omnium ab homine sive à diabolo factorum exterminatio, ita ut quicunq; ex te corpus suum laverit, divinam in te virtutem sentiat affuisse. Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Oremus.

Omnipotens æterne Deus, ante cujus conspectum tremunt Angeli, & infernus ululat, qui Judith ancillæ tuæ, quæ corpus laverat & ornaverat, tantam gratiam donare dignatus es, ut fieret Holofernicida, & populum suum ab obsidione liberaret, bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare dignare hoc ablutionis genus, ut quisquis ex eo corpus suum laverit, valeat Holofernis infernalis interimere virtutem, & ab ejus vexatione liberari, atque ab omni maleficiorum genere misericorditer te præstante salvari. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui aquâ in pelvim missâ Discipulorum suorum pedes humiliter lavit, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Benedictio Thori.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte Pater, qui castigando nos salvas, deprecor Majestatem tuam super hunc lectum, & super hanc domum, & super omnia quæ sunt in ea, & super has plumas. Quia omnia bene✠dico, puri✠fico, exor-✠cizo atq; sancti✠fico per nomen sanctum tuum, & servi tui Antonii Paduani, quem deprecor, ut sit in nostro auxilio, & omnium creaturarum: sic & tu Domine bene✠dicere & sanctificare digneris hunc lectum, domum, & omnia quæ sunt in ea, & has plumas, ut quisquis, & præcipuè hæc creatura N. super has plumas & lectum prostrata fuerit, dormiat, & tuam benedictionem recipiat, & secura quiescat; imò omnis spiritus immundus, omne phantasma, omne maleficum, vel factura, ligatura, signatura, & omne opus quomodolibet diabolicum in lectum vel plumas has, vel domum factum destruatur, annihiletur, exterminetur, dissipetur, expellatur, elongetur, quantum est elongatum cœlum à terra, lux à tenebris, nec amplius revertatur; & ego N. Sacerdos Dei destruo, & extir-

extirpo, & annihilo, ut non revertatur, & spiritus maledictos thorum, domum & tuas creaturas violare volentes contero & disperdo: & tandem Domine multiplica tuas sanctas benedictiones super lectum, & has plumas, & domum, & super creaturas, quæ habitant in ea; nam ego omnia bene ✠ dico, sancti ✠ fico Sacerdotali auctoritate ✠ quâ fungor, in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ, & ponat Sacerdos incensum super ignem benedictum, ut fumigetur domus, vel cubiculum, vel lectus. Et ponatur in lecto Cera Agni DEI, oliva palmarum benedicta cum sale exorcizato, & incenso Certi cum auro & myrrha.

Benedictio Infantis.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos & ad te venientes amplexabaris, (*hîc ponat manus super caput infantis*) manusq; super illos imponens benedicebas, atque dicebas: Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere illos, talium est enim regnum cœlorũ, & Angeli eorum semper vident faciem Patris mei: respice quæsumus ad infantum præsentium (*vel* infantis præsentis) innocentiam, & ad suorum parentum devotionem, & cle-

menter eos per ministerium meum bene✠dic, ut in tua gratia & tua misericordia semper proficiant, te diligant, te timeant, mandata tua & parentum custodiant, & ad finem optatum feliciter perveniant. Per te Jesu Christe Salvator mundi, qui vivis & regnas Deus. Amen.

Benedictio Dei Pa✠tris omnipotentis, & Fi✠lii, & Spiritus✠Sancti descendat super vos, & custodiat & dirigat vos, & maneat semper vobiscum. Amen.

Benedictio Puerorum & Puellarum.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Quæsumus omnipotens Deus, Pueris istis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, bene✠dicere dignare, & per virtutem S. Spiritus corda eorum corrobora, vitam sanctifica, castimoniâ decora, & sensus eorum in bonis operibus muni & informa: prospera tribue, pacem concede, salutem confer, charitatem largire, & ab omnibus diabolicis atque humanis insidiis (tua protectione & virtute) semper defende, & in finem ad requiem Paradisi eos perduc. Per Dominum nostrum &c.

Ore-

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos & ad te venientes complexabaris, (*hic ponat manus super capita Puerorum*) manusque super illos imponens benedicebas, atque dicebas: Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos, talium est enim regnum cœlorum, & Angeli eorum semper vident faciem Patris mei: respice quæsumus ad pueri vel puellæ (*si fuerit unus*) seu puerorum vel puellarum præsentium innocentiam, & ad suorum parentem devotionem, & clementer eos hodie per ministerium meum bene-✠dic, ut in tua gratia & misericordia semper proficiant, te sapiant, te diligant, te timeant, & mandata tua custodiant, & ad finem optatum feliciter perveniant, per te Salvator mundi. Qui cum Patre & Spiritu S. &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, custodiat atq; dirigat vos, & maneat semper vobiscum. Amen.

Aspergatur &c.

Benedictio SS. Nominis JESU.

℣. Adjutorium nostrum. ℟. Qui fecit cælum.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Bene ✠ dic Domine Jesu Christe hanc tui

ſanctiſſimi Nominis impreſſionem, & concede, ut ſicut in fide ipſius claudum à nativitate ambulare feciſti, cùm dixit ei Petrus: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula; ſic tua creatura hanc ſanctiſſimi Nominis impreſſionem apud ſe devotè portans ab omni ſua infirmitate per tuam piiſſimam miſericordiam liberari mereatur. Per eundem Chriſtum &c.

Aſpergatur &c.

Benedictio chartæ pro Agno Mariano, ſeu Brevibus, ad fugandum diabolum, & deſtruendum maleficium.

More Franciſcano.

Primò deſcribantur in charta Benedictiones & Exorciſmi ſequentes:

JESUS ✠ MARIA.

JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

Benedictio S. Antonii de Padua.

Ecce ✠ Crucem Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Benedictio S. Franciſci.

Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te, oſtendat faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. convertat vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. T. Dominus benedicat te.

Bene-

Benedictio S. MARIÆ ad Apostolos.

Benedicat vos Filioli & totum hunc mundum Dominus Deus Pater, & Sponsus meus Jesus Christus, Filius unigenitus meus, Spiritus Sanctus amor meus, Amen. *Ex S. Andrea Cretensi.* Christus Rex ✠ venit in pace, & Deus ✠ homo factus est.

I. N. R. I. Qui Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, nascens ex Maria Virgine, per ineffabilem pietatem & misericordiam suam piissimam, & per intercessionem ejusdem B. M. V. & Angelorum Sanctorumque omnium, & maximè Apostolorum & Evangelistarum suorum, Joannis, Matthæi, Marci & Lucæ, ipsum quæso, ut dignetur me liberare & conservare ab omni infestatione Satanæ & ministrorum ejus. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super nos & fructus terræ, & maneat semper, Amen.

PAx D. N. Jesu Christi ✠, virtus Passionis ejus, & signum S. ✠ Crucis, integritas B. M. Virginis, ✠ Benedictio Sanctorum & Electorum Dei, Titulus Salvatoris nostri in Cruce I. N. R. I. sit triumphalis, hodie & quotidie, inter me & inimicos meos, visibi-

les & invisibiles, contra omnia pericula animæ & corporis mei, omni tempore & loco, Amen. Gaudebo & exultabo in Deo Jesu meo, ô Jesu Jesu, esto mihi Jesus Creator, Comprehensor & Judex universi.

Benedictio S. Vincentii Confessoris.

SUper ægros manus imponent, & bene habebunt: Jesus Mariæ Filius, Mundi Salus & Dominus, meritis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum atq; Virginum, sit tibi clemens & propitius, Amen.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te ✠ defendat, intra te sit, ✠ ut te conservet, ante sit, ut te ✠ deducat, post te sit, ut te ✠ custodiat, super te sit, ut te bene ✠ dicat. Qui cum Patre & Spiritu Sancto in unitate perfecta vivit & regnat in secula seculorum, Am.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super te, & maneat semper tecum, Amen.

Ad cognoscendum, si aliquis vexetur à Spiritibus immundis.

IN nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, Amen. ✠ Hel ✠ Heloym ✠ Sother ✠ Emmanuel ✠ Sabaoth ✠ Agia ✠ Tetragrammaton ✠ Agyos ✠ Otheos ✠ Ischyrios ✠ Athanatos ✠ Jehova ✠ Ya ✠ Adonay ✠ Saday ✠ Homusion ✠ Messias ✠ Esereheye

reheye ✠ Increatus Pater, ✠ Increatus Filius, ✠ Increatus Spiritus Sanctus, ✠ Jesus ✠ Christus vincit, ✠ Christus regnat, ✠ Christus imperat. ✠ Si diabolus ligavit vel tentavit te N. suo effectu per sua opera, Christus Filius Dei vivi per suam misericordiam liberet te ab omnibus spiritibus immundis, qui venit de cœlo, & incarnatus est in utero Beatissimæ Virginis MARIA, causâ humanæ salutis, & ejiciendi diabolum, & omnem malignam spiritum à te in profundum inferni & abyssi. Ecce Crucem ✠ Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Initium S. Evangelii secundùm Joannem.

IN principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venien-

tem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST. Et habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti â Patre, plenum gratiæ & veritatis.

✠

✠ IHS. ✠ MRA.

ORATIO CONTRA OMNES, TUM MALEFICORUM, TUM DÆMONUM INCURSUS.

QUi Verbum Caro factum eſt, & in Cruce effixus, ſedenſq; ad dexteram Patris, ut credentium exaudiat preces, ille per ſuum ſanctum Nomen, cui omne genu flectitur, ac per merita Virginis & Matris ejus, nec non per preces omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, præſervare ab omni maleficiorum ac dæmonum incurſu dignetur; qui in unitate perfecta vivit & regnat.

Ecce

Ecce ✠ Domini nostri Jesu Christi, in qua salus, vita & resurrectio nostra, confusio omnium maleficorum ac dæmonum, fugite ergo partes adversæ. Nam ego conjuro vos Dæmones infernales & spiritus malignos, cujuscunq; generis, ita præsentes sicut absentes, quomodocunque, & sub quocunque prætextu, aut vocatos aut invocatos, aut spontè aut missos, seu per incantationem, seu per artem malorum hominum aut mulierum, præparatos ad habitandum vel molestandum, quatenus semotâ diabolicà fraude incontinenter abeatis, per ✠ Deum vivum, ✠ verum, ✠ Sanctum, ✠ Patrem, ✠ Filium, ✠ & Spiritum ✠ Sanctum, præsertim per eum, ✠ qui in Isaac est immolatus, ✠ in Joseph venundatus, ✠ in agno occisus, in homine crucifixus: in cujus sanguine vicerunt vos, quando Michaël pugnavit vobiscum, & fecit victoriam recedere, appropinquantes retrocedite, nec valeatis sub quocunq; prætextu molestare creaturam istam, nec in corpore, nec extra corpus, nec per visionem, nec per terrorem, neq; de die, neq; de nocte, nec dormiendo, nec vigilando, nec comedendo, nec orando, nec aliquid naturale aut spirituale faciendo, aliter vobis infundo omnes maledictiones, excommunicationes ✠ & pœnas tor-

tormentorum, detruſis in ſtagnum ignis & ſulphuris, per manus inimicorum veſtrorum, Sancta Trinitate jubente, Michaële Archangelo exequente.

Nam ſi tenemini aliquo vinculo præcepti, adorationis, ſuffumigii, innodationis, artis & facturæ, ad quemcunq; perverſum finem & effectum compilato & fabricato, ſive in herbis, verbis, lapidibus elementalibus, ſive naturalia ſint, ſive ſimplicia aut mixta, temporalia aut ſpiritualia, aut Sacramentalia, aut in nominibus magni Dei, aut Angelorem, ſive in caracteribus, horis, minutis, diebus, anno, menſe, ſuperſtitiosè obſervato, cum pacto expreſſo, aut tacito etiam juramento firmato, omnia illa ✠ irrito, annullo, deſtruo per potentiam Patris, qui totum mundum creavit, ✠ Sapientiam Filii Redemptoris, per bonitatem Spiritus Sancti, qui totam legem adimplevit, ✠ qui eſt, ✠ erat, venturus eſt, ✠ Hel ✠ Heloym ✠ Sother ✠ Emmanuel ✠ Sabaoth ✠ Agia ✠ Tetragrammaton ✠ omnipotens, Agios ✠ Athanatos ✠ Sother ✠ Tetragrammaton, ✠ Jehova, Alpha & Omega, ✠ principium & finis. Extinguatur ergo in creatura iſta, & fugetur omnis virtus diabolica, per delationem ſanctiſſimæ Crucis, invocationemq; Angelo-

rum,

rum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, nec non B. Virginis, & omnium in cœlo regnantium cum Agno occiſo ab origine mundi, & bene viventium in Eccleſia ſancta Dei.

Recedite ergo, & ſicut fumus jecoris piſcis combuſti, dictante Raphaële, ſpiritum à Sara fugavit, ita benedictiones iſtæ expellant vos, ut non audeatis accedere ad hanc creaturam inſignitam ſigno S. Crucis, per milliaria centum: quia mandatum meum non eſt meum, ſed ejus, qui miſſus eſt à ſinu Patris, ut opera veſtra deſtrueret, & in ara Crucis deſtruxit, nobisq; talem dedit poteſtatem, ad gloriam ſuam, & utilitatem fidelium, vobis imperandi, prout imperamus & præcipiamus, ut non audeatis accedere, per Chriſtum Dominum noſtrum. Ecce ✠ Crucem Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de Tribu Juda, radix Davit, Alleluja, Alleluja, Amen, Fiat, Fiat.

Deinde ſuper iſtam chartam pronuncietur ſequens benedictio.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Exorcizo te creatura chartæ, quæ in uſum humani generis ad reſerandum etiam magnalia de lege Domini digna viſa es, & per divi-

nam

nam voluntatem chartæ conjugii à Raphaële inter Tobiam & Saram celebrati, in quo etiam opere Angelico diabolus extitit victus per Dominum Deum Universi, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, qui extendit cœlum sicut pellem, in qua cœlestibus splendoribus quasi characteribus scribens cœlos, facit suam gloriam enarrare, ut bene✠dicaris & sancti✠ficeris ad omne opus diaboli destruendum, sive illud præsentiæ sit, sive potentiæ, sive maleficii, ut quicunque te sacris verbis respersam vel sacram rem concludentem super se portaverit, ab omni infestatione diabolica liberetur. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

Domine potens in prælio, Deus ultionum, & Pater Patrum nostrorum, qui per Moysen & Prophetas antiquorum voluminum scriptores etiam tuæ divinæ bonitatis mysteria divinitùs revelâsti, & per Sanctos Evangelistas & Apostolos tuos novi Testamenti Filii tui paginam scribi voluisti: quique per Jeremiam Prophetam tuum cadaver Joachim Regis Juda projiciendum ad æstum per solem, & ad gelu per noctem eidem nuntiâsti, quoniam tres pagellos vel quatuor

cum Juda legiſſet in libro à Baruch filio Nerie ex ore Jeremiæ ſcripto, eundem in ignem injecit, atq; comburi fecit: bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris hanc chartam, ut quicunq; te vel ſacris ſcriptam vel ſacra concludentem ſuper ſe portaverit, ita miſericordiam tuam gaudeat adfuiſſe, ut & ipſe Satanas, & ab ipſo immiſſæ oppreſſiones, tam maleficiorum, quàm incantationum omnium, confundantur, conterantur, amoveantur, & in infernum dejiciantur. Per te Deus trine in perſonis, unus in eſſentia, æqualis vivens in ſecula ſeculorum. ℟. Amen,

Aſpergat aquâ benedictâ.

Benedictio B. Salvatoris ab Horta Franciſcani contra Febres.

Potentia Dei Patris, ✠ Sapientia Dei Filii, ✠ Virtus Spiritus Sancti ✠ liberet te ab omni febre tertiana, quartana, & continua, Beato Salvatore orante pro te famulo ſuo, vel famula ſua. ✠

Dominus te N. benedicat ✠ ab infirmitate, & ab omni malo te ſemper defendat. A.

Nota, ſi hæc benedictio Schedæ inſcribatur, deſuper Scheda, antequam collo appendatur, benedicitur & conjuratur ſequenti modo:

Conjuratio chartæ, in qua debent ſcribi brevia applicanda collo &c.

℣. Adju-

℣. Adjutorium nostrum. ℟. Qui fecit cælum.
℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Conjuro te, & bene ✠ dico te charta per verba illa tituli triumphalis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & per omnia illa verba, quæ dicuntur de Creatore omnium creaturarum, qui potest tribuere & facere, quòd tantam obtineas virtutem, ut omnia, quæ supra te scribentur, ad effectum salutis æternæ perducere valeas, ut omnis fallacia & virtus diaboli exeat de te, & intret in te omnis virtus prædicta sine mora. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Aspergat aquâ benedictâ.

Benedictio Schedarum, quæ vulgò Flagella dæmonis vocantur.

Primò inscribe verba ordinaria sequentia in chartam:

JESUS + MARIA
JESUS NAZARENUS REX
JUDÆORUM.

Benedictio S. Antonii de Padua.

Ecce Crucem ✠ Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Bene-

Benedictio S. P. Francisci.

Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, convertat vultum suum ad te, & det tibi pacem. T. Dominus benedicat te.

Benedictio S. MARIÆ ad Apostolos.

Benedicat vos filioli, & totum hunc mundum Dominus Deus Pater, & Sponsus meus Jesus Christus, Filius unigentus meus, Spiritus Sanctus, Amor meus, Amen.

Ad alteram partem chartæ:

I.

N. ✠ R.

I.

Qui Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, nascens ex MARIA Virgine, per ineffabilem pietatem, & misericordiam suam piissimam, & per intercessionem ejusdem B. MARIÆ Virginis, & Angelorum, Sanctorumq; omnium, & maximè Apostolorum & Avangelistarum suorum, Joannis, Matthæi, Marci & Lucæ, ipsum quæso, ut dignetur me liberare & conservare ab omni infestatione Satanæ & ministrorum ejus. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula seculorum, Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii,

Filii, & Spiritus Sancti, descendat super nos & fructus terræ, maneat semper, Amen.

Deinde fiat Conjuratio Chartæ sicut suprà pag. 126. Tandem apponitur particula Missæ Marianæ sigillata.

Benedictio Peregrinorum ad loca sancta abeuntium.

Celebratâ Missâ, & ipsis sacra communione refectis, ac genuflectentibus, dicat Sacerdos Antiph. In viam pacis.

Canticum Benedictus Dominus Deus Israel &c. *totum. Quo finito repetitur Antiph.* In viam pacis & prosperitatis dirigat vos omnipotens & misericors Dominus, & Angelus Raphaël comitetur vobiscum in via: ut cum pace, salute & gaudio revertamini ad propria. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleys. Pater noster &c.

℣. *Salvos fac servos tuos.*

℟. *Deus meus sperantes in te.*

℣. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eos.*

℣. *Esto eis Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eis.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.*

℣. *Benedictus Dominus die quotidie.*

℟. *Prosperum iter faciat vobis Deus salutarium nostrorum.*

℣. *Vias tuas Domine demonstra eis.*

℟. *Et semitas tuas edoce eos.*

℣. *Utinam dirigantur viæ eorum.*

℟. *Ad custodiendas justificationes tuas.*

℣. *Erunt*

℣. *Erunt prava indirecta.*
℟. *Et aspera in vias planas.*
℣. *Angelis suis Deus mandavit de te.*
℟. *Ut custodiant te in omnibus viis tuis.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus qui filios Israël per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quiq; tribus Magis iter ad te, stellâ duce, pandisti: tribue eis, quæsumus, iter prosperum, tempusq; tranquillum, ut Angelo tuo Sancto comite, ad eum quò pergunt locum, ac demum ad æternæ salutis portum feliciter valeant pervenire.

Deus qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, ut hos famulos tuos custodire digneris. Esto eis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus: ut te duce quò tendunt prosperè perveniant, & demum incolumes ad propria revertantur.

Adesto quæsumus Domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter

omnes viæ & vitæ hujus varietates tuo ſemper protegantur auxilio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam ſalutis incedat, & B. Joannis Præcurſoris hortamenta ſectando, ad eum, quem prædixit, ſecura perveniat ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Exaudi Domine preces noſtras, & iter famulorum tuorum propitius comitare, atque miſericordiam tuam, ſicut ubiq; es, ita ubiq; largire, quatenus à cunctis adverſitatibus tuâ opitulatione defenſi, gratiarum tibi referant actiones. Per Chriſtum &c.

Pax & benedictio ✠ Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus S. deſcendat ſuper nos, & maneat ſemper. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

Si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicantur in numero ſingulari, at ſi Sacerdos ipſe, qui benedicit, fuerit ſocius peregrinationis, dicat in perſona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

Benedictio alia ſuper Peregrino, & ejus neceſſariis.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ac-

cipe

cipe hanc ſportam, habitum peregrinationis tuæ, ut bene caſtigatus & ſanatus, atque emundatus pervenire merearis ad Sanctorum limina, quò pergere cupis: ut peracto itinere ad nos incolumis & alacer reverti merearis. Per Dominum noſtrum. &c.

Benedictio Baculi.

Accipe hunc baculum ad ſuſtentationem itineris, viæ, peregrinationis tuæ, ut vincere valeas omnes inimicos, & ſecurè pervenire poſſis ad limina tuta: ut peracto obedientiæ curſu ad nos revertaris cum gaudio. Per Dominum noſtrum &c.

Benedictio Veſtium.

Domine Deus, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, te ſubnixius deprecamur, ut hanc veſtem bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris, ut hâc indutus famulus tuus N. ſalutem animæ & corporis requiem acquirere poſſit. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Aſpergatur ipſe & paramenta ejus aquâ benedictâ.

Benedictio Peregrinorum poſt reditum.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Antiphona.

Ecce ſic benedicetur homo.

Pſalm. Beati omnes qui timent Dominum, &c. *ut ſuprà pag. 78.*

Finitô Pſalmô dicitur.

Antiphona.

Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter &c.

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Benedicti qui veniunt in nomine Domini.*
℟. *Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram.*
℣. *Reſpice Domine in ſervos tuos, & in opera tua.*
℟. *Et dirige eos in via mandatorum tuorum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Largire, quæſumus Domine, famulis tuis indulgentiam placatus & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſerviant.

Omnipotens ſempiterne Deus, noſtrorum temporum vitæq; diſpoſitione famulis tuis continuæ tranquillitatis largire ſubſidium, ut quos incolumes propriis laboribus reddidiſti, tua facias protectione ſecuros.

Deus

Deus humilium viſitator, qui nos fraterna dilectione conſolaris, prætende ſocietati noſtræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum nobis ſentiamus adventum. Per Dominum noſtrum &c.

Aſpergantur aquâ benedictâ, & Sacerdos dicat:

Pax & benedictio ✠ Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

Benedictio Panis S. Nicolai de Tolentino.

Primò dicatur Hymnus:

TE canunt omnes Nicolae gentes,
Te pii Patres ſimul, atque Matres,
Voce te laudant pueri canora,
Votaque ſolvunt.

Efferunt cæci, reſonantque muti,
Quos tua cunctos ope liberâſti,
Mira decantant tua facta claudi,
Laude perenni:

Eruti per te maris è periclis,
Quosque tu morbis variis gravatos
Mille ſanâſti, tua dona cuncti
Magna fatentur.

Quosque vexatos pius expiâſti
Dæmonum dira feritate, quosque
Conſequi rurſum veteris dediſti
Lumina vitæ.

 Dive,

Dive, cœlestisque habitor aulæ,
Dive, cuî tantum tribuunt superni
Posse, quem totum dominator alti
Auxit Olympi.
Laus Patri summo, Genitoque semper,
Quique procedit Deus ex utroque
Spiritus Sanctus, Deus unus idem,
Laus tibi semper. Amen.

Lectio Libri Regum.

IN diebus illis factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te. Surrexit, & abiit in Sarephta. Cumq; venisset ad portam Civitatis, apparuit ei mulier vidua, colligens ligna; Et vocavit eam, dixitq; ei: Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam Cumq; illa pergeret, ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi obsecro & buccellam panis in manu tua. Quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, ut ingrediar, ut faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, & fac

sicut

ſicut dixiſti. Verumtamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem parvulum, & affer ad me; tibi autem & filio tuo facier poſtea. Hæc autem dicit Dominus Deus Iſraël: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usq; in diem, in qua daturus eſt Dominus pluviam ſuper faciem terræ. Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ. Et comedit ipſe, & illa, & domus ejus. Et ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus: juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. ℟. *DEO gratias.*

℣. Reſpexit Elias ad caput ſuum ſubcinericium panem: qui ſurgens comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem DEI.

✠ Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore abiit Jeſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis: Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jeſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Judæorum. Cum ſuble-

vassset ergo oculos Jesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex Discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dicit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinq; millia. Accepit ergo Jesus panes: & cùm gratias egisset, destribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus, quantum volebat. Ut autem impleti sunt, dixit Discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim Cophinos fragmentorum, ex quinq; panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant. Illi ergo homines, cùm vidissent quod fecerat Jesus signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

℟. Laus tibi Christe.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui benedixisti quinq; panes in deserto: multiplica super fideles tuos misericordiam tuæ pietatis; quemadmodum fecisti cum Patribus nostris in tua misericordia sperantibus, & bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare digneris hanc creaturam panis, quem ad subsidium tuorum fidelium tribuisti, quatenus à quocunq; sumptus fuerit, bene ✠ dictionis tuæ opulentiâ repleatur, & gratiarum actione per te in visceribus ipsorum sanctificetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, qui per potentiam tuam panem istum in forma visibili distribuisti, & magnitudine largitatis tuæ humanis usibus emanare de segete jussisti: te suppliciter exoramus, ut hunc panem, quem negligentia nostra polluit, Sancti Spiritus gratia ad munditiam revocet & sancti ✠ ficet, mundet ac purificet, & turpitudo callidi hostis abscedat, ac familiæ tuæ deinceps cum benedictione comestibilis tribuatur, & comedentium mundentur corda, & corpora ipsorum per tuam gratiam sanctificentur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Precamur Domine Deus tuæ pietatis clementiam, ut panem iſtum cœleſti bene✠dictione ſanctifices, & ita ex hoc fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incurſum: ut quicunq; ex eo comederit, totius virtutis & ſanitatis dulcedine perfruatur, & tibi, Sanctificatori ac Salvatori omnium, gratias cum gaudio & lætitia agere mereamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Te igitur ſuppliciter deprecamur, ut bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris hanc creaturam panis, ut quicunq; ex eo guſtaverit, per interceſſionem dilecti famuli tui Nicolai de Tolentino conſequatur vitam æternam: & extingue ab omnibus dignè ſumentibus, ſi quid veneni, ſi quid mortiferæ operationis fuerit, & clementer eos defende. Per Chriſtum &c. Amen.

Oremus.

Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus verbo cœli firmati ſunt, cui omnia ſubdita ſunt, cui omnis creatura deſervit, & poteſtas ſubjecta eſt, & metuit, & expaveſcit: nos te ad auxilium provocamus, cujus audito nomine ſerpens conquieſcit, draco fugit, ſilet vipera, & omnia venenata, etiam

adhuc

adhuc fortia animalia reptantia noxia terrentur, & omnes adversæ salutis humanæ radices arescunt. Te ergo Domine supplici-ter deprecamur, ut benedicere & sancti- ✠ ficare digneris hanc creaturam panis, ut quisquis ex eo comederit, per intercessionem Sancti tui Nicolai de Tolentino vitam æternam consequatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ, & incensetur. Posteà fiat distributio, & dicatur sequens

Hymnus. *

LAudibus summis celebramus omnes
Regis æterni memoranda dona,
Mentibus lætis modulemur ejus
Grandia facta.

Qui dedit quondam fidei coruscans
Sydus ex altis, oriensque cœlis,
Sancta quem mundo peperit beatum
Monïca Patrem.

Ex suo te nunc grege procreatum,
Multa post tandem revoluta secla,
Contulis dignum Nicolae nobis
Ejus alumnum.

Cujus ingentes memoresque gestas
Res queat nemo satis explicare,
Cujus excelsas celebresque laudes
Nemo referre.

Dive

Dive cœlestisque habitator aulæ,
Dive, qui tantis meritis opimis
Vivis, & gaudens super alta cœli
Astra triumphas
Laus Patri summo, Genitoque semper,
Quique procedit Deus ex utroque
Spiritus Sanctus, Deus unus idem,
Laus tibi semper. Amen.

Antiphona.

Nicolaus verò Christi pauper, virgo à DEO electus, obedientiam jugiter servans, Eremitarum ordinem signis & virtutibus decoravit.

℣. *Ora pro nobis Beate Nicolae.*

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Si talis Benedictio fiat ante Missam, vel in Quadragesima, dicatur sequens

Oratio.

Concede quæsumus, omnipotens Deus, ut Ecclesia tua, quæ Beati Nicolai Confessoris tui virtutum & miraculorum gloria coruscat, ejus intercessione & meritis, perpetua pace atque unitate lætetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Si autem post Missam, dicatur

Oratio.

Populum tuum Domine, quæ sumpsimus, Sacramenta custodiant, ut qui Beati Nicolai de

de Tolentino Confessoris jugiter implorant auxilium, petitionum suarum salutarem consequantur effectum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Cum maxima reverentia tenebitur hic panis in domo, pro occurrentibus necessitatibus: quia ab Eugenio Papa laudata fuit hujusmodi benedictio & approbatio.

Benedictio Medicinæ cujuscunque.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui mirabiliter hominum creâsti, & mirabiliter reformâsti, qui dedisti medicinam, ad tuendam hominum sanitatem: sanctam tuam de cœlis bene✠dictionem super hanc medicinam infunde, ut hic, in cujus corpus introierit, sanitatem mentis & corporis percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur &c.

Benedictio Capsarum, pro Reliquiis & aliis Sanctuariis includendis.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Ore-

Oremus dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut qui omnia per unigenitum Filium suum in virtute Spiritus S. valde bona creavit, ipse nobis indignis, ad consecrationem & benedictionem harum Capsarum Reliquis Sanctorum suorum recondendis paratarum, rorem gratiæ suæ clementer infundere dignetur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde manibus junctis ante pectus dicitur Præfatio.

Per omnia secula seculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

℣. *Sursum corda.* ℟. *Habeamus ad Dominum.*

℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.*

℟. *Dignum & justum est.*

Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubiq; gratias agere, Domine S. Pater omnipotens, æterne Deus, ineffabilis Deus misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui Moysi famulo tuo præcepisti, ut juxta exemplar, quod ei in monte demonstrâsti, Arcam de lignis imputribilibus construeret, & eam auro mundissimo circumdaret, in qua vasa aurea mannâ cœlesti plena, cum tabulis Testamenti, digito Majestatis suæ conscriptis, in testimonium

futuris

futuris generationibus ſervari deberent: quique noſtris ſeculis eadem ſacratius intelligenda manifeſtaſti, dum corpus unici Filii tui ope Spiritus S. de incorrupta Virgine conceptum, & anima rationali vivificatum, omni plenitudine refudiſti: Te ſuppliciter imploramus omnipotens Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis Paternitas in cœlo & in terra nominatur, ut hæc vaſcula Sanctorum tuorum honoribus præparata, eisdem Sanctis tuis intercedentibus, cœleſti bene ✠ dictione perfuntere digneris, quatenus qui harum patrocinia requirunt, ipſis intenedentibus, cuncta ſibi adverſantia te adjuvante ſuperare, & omnia commoda profutura abundantiâ largitatis tuæ mereantur invenire: & ſicut illi, te inſpirante, ſpiritualium nequitarium verſutias cavere, & humanitus exquiſita tormenta non ſolùm contemnere, ſed etiam penitus evincere Chriſto Domino confortante potuerunt; ita ipſorum merita venerantibus & Reliquiis humiliter amplectentibus, contra diabolum & angelos ejus, contra fulmina, fulgura & tempeſtates, contra corruptum aërem & mortes hominum vel animalium, contra malarum beſtiarum & ſerpentium diverſiſſimas formas, contra malorum hominum adinventiones

tiones pessimas, eorundem Sanctorum tuorum precibus complacatus, dexteram invictæ potentiæ tuæ, ad deputationem nocivorum & defensionem proficuorum, semper & ubique propitius ostende. Per eundem Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui ut murmur insani populi compesceres, & Sacerdotium Aaron tibi placitum comprobares: virgam ejus aridam germinare & flores fructiferos producere fecisti, eandemq; in Arca Testamenti pro signo virtutis tuæ poni jussisti: sed & nobis eodem præsagio Christum in Ara Crucis arefactum, citissima resurrectione reflorescere, & in Ecclesia novissimo tempore resuscitanda, per mortem suam die ac nocte fructificare demonstrasti: te quæsumus indulgentissime generis humani provisor, ut hæc vascula Sanctorum tuorum receptaculo præparata ita gratià sancti ✠ fices, ut ubicunq; in tuo nomine prolata fuerint, intercedentibus Sanctorum tuorum meritis, cuncta adversa depellas & nullifices, & omnia utilia multiplices atq; custodias: quatenus fideles tui, magnitudine sive universitate beneficiorum tuorum, in parte modica Reliquiarum, integrata Sanctorum corpora

ſe percepiſſe gratulentur, & per temporalia loca ipſorum precibus impenſa, ad æterna cum eis gaudia poſſidenda fiducialius animentur. Per eundem Dominum &c.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

Benedictio novi Monaſterii.

Superior, vel alius ejus loco, ſuperpelliceo & ſtolâ indutus, incipiat ſequentes Pſalmos recitare alternatim cum aſſiſtentibus Religioſis illius Monaſterii, &

Primò incipiat in Sacriſtia.

Pſalm. Memento Domine David &c. *ut ſuprà pag. 81.*

Finitò Pſalmò dicatur.

Antiphona.

Domum iſtam protege Domine, & Angeli tui Sancti cuſtodiant muros ejus.

℣. *Domine dilexi decorem domus tua.*

℟. *Et locum habitationis gloria tua.*

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdotum miniſterio ad tibi ſerviendum & ſupplicandum uti dignaris, quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quidquid modò viſitamus, viſites, & quidquid bene✠dicimus, bene✠dicas, ſitq; ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Poſteà Procedatur ad dormitorium, ibique dicatur

Pſalmus 4.

CUm invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi.

Miſerere mei: & exaudi orationem meam.

Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.

Et ſcitote quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum.

Iraſcimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubiculis veſtris compungimini.

Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino: multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini & olei ſui: multiplicati ſunt.

In pace in idipſum: dormiam & requieſcam.

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe: conſtituiſti me.

Gloria Patri &c.

Anti-

Antiphona.

Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace.

℣. *In pace in idipsum.*

℟. *Dormiam & requiescam.*

Oremus.

Bene ✠ dic Domine hoc dormitorium famulorum tuorum, qui non dormis, neque dormitas custodiens Israël, & famulos tuos in hac domo quiescentes post laborem custodi ab illusionibus phantasmaticis Satanæ, ut vigilantes in præceptis tuis meditentur, & dormientes te per soporem sentiant, & hic & ubique defensionis tuæ muniantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur &c.

In Infirmaria dicatur

Psalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine, & eripe animam meam;

meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem, quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant te conturbentur omnes inimici mei: Convertantur, & erubeſcant valde velociter.

Gloria Patri &c.

Antiphona.

Aſpice Domine de ſede ſancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus autem tuam & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem noſtram.

℣. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.*

℟. *Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.*

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, quæſu-

mus

mus immensam pietatem tuam, ut ad intuitum humilitatis nostræ hunc locum infirmitorii & hos famulos tuos, (*si solus fuerit infirmus, Oratio dicatur in singulari*) in eo fessos jacentes, salutiferè visitare digneris: & sicut visitasti, Domine, Tobiam, Socrum Petri, & puerum centurionis, ita & isti, pristinâ sanitate animæ & corporis receptâ, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur &c.

In Refectorio dicatur.

Psalm. Beati omnes qui timent Dominum &c. *ut suprà pag. 78.*

Quô finitô dicatur

Antiphona.

Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escas in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

℣. *Edent pauperes, & saturabuntur.*
℟. *Et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.*

Oremus.

Omnipotens misericors Deus, qui famulos in hac domo alis refectione carnali, ut cibum vel potum te bene✠dicente, cum gratiarum actione percipiant, præsta quæsumus, ut

ut hic & in æternum per te salvi esse mereantur. Per Christum &c. Amen.

Aspergatur &c.

In Coquina dicatur

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ: propter nomen suum.

Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parâsti in conspectu meo mensam: adversus eos qui tribulant me.

Impingvasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Gloria Patri &c.

Antiphona.

In loco pascuæ ibi me collocavit.

℣. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*
℟. *Qui habitare facis unanimes in domo.*

Oremus.

Deus æterne, ante cujus conspectum assistunt Angeli, in cujus nutu reguntur universa, qui etiam necessariis humanæ fragillitatis tua pietate consulere non desinis, te humiliter imploramus, ut habitaculum istius officinæ illa bene ✠ dictione perfundas quà per manus Elisei Prophetæ in olla eremitica gustus amarissimos dulcorasti, & semper hic, tuæ benedictionis copia redundante, laudes tibi referant servi tui, qui das escam omni carni, & imples omne animal benedictione ✠ Salvator noster. Qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ.

In Cellario dicatur

Psalmus 143.

Benedictus Dominus Deus meus: qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus.

Protector meus, & in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.

Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia repudas eum?

Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt.

Domine inclina cœlos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.

Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, etipe me, & libera me de aquis multis; de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum eſt vanitatem: & dextera eorum dextera iniquitatis.

Deus canticum novum cantabo tibi: in pſalterio decachordo pſallam tibi.

Qui das ſalutem Regibus: qui redemiſti David ſervum tuum de gladio maligno: eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem: & dextera eorum dextera iniquitatis.

Quorum filii, ſicut novellæ plantationes in juventute ſua.

Filiæ eorum compoſitæ: circumornatæ ut ſimilitudo templi.

Promptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſ-

ſibus

ſibus ſuis: boves eorum craſſæ.

Non eſt ruina maceriæ, neq; tranſitus, neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

Gloria Patri &c.

Antiphona.

Ecce ego mitto vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis, dicit Dominus, ideoque exultate & lætamini in Domino Deo veſtro.

℣. *Emitte Domine benedictionem ſuper cellaria.*
℟. *Et ſuper opera manuum tuarum.*

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ubique preſens es, Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut huic promptuario gratia tua adeſſe dignetur, quæ cuncta adverſa ab ea repellat, & abundantiam bene ✠ dictionis tuæ largiter infundat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

In Clauſtro dicatur,

Pſalmus 83.

QUàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri &c: *Anti-*

Antiphona.

Congregavit nos in unum Christi amor, timeamus & amemus Christum Deum: ubi charitas & amor, ibi Deus est.

℣. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum.*

℟. *Habitare fratres in unum.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos singulari prærogativa gratiæ in hoc Religionis claustro misericorditer congregasti, da nobis famulis tuis, ita in eodem laudabiliter tibi servire, & in fraternitatis amore & sincera dilectione, ac mutua pace convivere, ut tandem ad illam patriam, in qua omnia secura, firma, tranquilla & stabilia sunt, te largiente pervenire valeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur &c.

Ad portam principalem dicatur

Psalmus 147.

LAuda Jerusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

Qui

Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit Crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit.

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabis Spiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum suum Jacob: justitias & judicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri &c.

Antiphona.

Confortavit Dominus seras portarum nostrarum, & benedixit nobis

℣. *Hæc est porta Domini.*

℣. *Et justi intrabunt in eam.*

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui in introitu portarum Jerusalem valvas sanctificasti, dum splendore gemmarum duodecim totidem Apostolorum nomina præsignasti, & qui per organum Propheticum prædixisti: Lauda Jerusalem Dominum, quia confortavit seras portarum tuarum, & benedixit filiis tuis in te: te quæsumus, ut ponas omnes fines do-

mus

mus iſtius pacem, & velociter currens interius ſermo tuus adipe frumenti ſatiet eos, Spiritus Sanctus defendat illos, ut nunquam nocere eis prævaleat inimicus, ſed omnes habitantes in ea interius voce, corde & opere decantent, dicentes: Magnus Dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus. Qui cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti in Trinitate perfecta vivis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

✠ Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore ingreſſus Jeſus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic erat Princeps publicanorum, & ipſe dives, & quærebat videre Jeſum quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtaturâ puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem Sycomorum, ut videret eum, quia inde erat tranſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum. Et dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent, omnes murmurabant,

bant, dicentes: quòd ad hominem peccatorem divertiſſet: Stans autem Zachæus, dixit ad Jeſum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jeſus ad eum: quia hodie ſalus domui huic facta eſt: eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.

Antiphona.

Beata gens, cujus eſt Dominus DEUS, eorum populus electus in hæreditatem.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi.*

℟. *Sub umbra alarum tuarum protege nos.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ dedicator ſemper aſſiſtis, exaudi nos quæſumus, ut inviolabilis hujus domus permaneat benedictio, & beneficia tui muneris univerſa, quæ ſupplicat, mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ore-

Oremus.

Visita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui Sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Posteà addantur orationes de S. Maria, & de aliis Sanctis ad libitum.

In reditu ad Ecclesiam.

Psalm. Qui habitat in adjutorii Altissimi &c. *ut suprà pag.* 42.

Quô finitô dicatur.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Memento congregationis tuæ.*

℟. *Quam possedisti ab initio.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine Dei & Domini nostri Jesu Christi Filii tui dilectissimi mereamur semper bonis operibus abundare. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Bene-

Benedictio domorum in Sabbatho S. Paſchatis.

Parochus ſeu alius Sacerdos ſuperpelliceo & ſtolâ albâ indutus cum miniſtro deferente: eas aquæ ex benedictione fontium, ante perfuſionem Chriſmatis, acceptæ, viſitat domus ſuæ Parochiæ, aſpergens eas eâdem aquâ benedictâ. Ingrediens domum dicit:

pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde aſpergens loca præcipua domus, & eos qui habitant in ea, dicit Antiphonam.

Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, Alleluja, & omnes, ad quos pervenit aqua iſta, ſalvi facti ſunt, Allel. Allel.

Pſalm.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus. Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio &c.

Repetitur Antiphona.

Vidi aquam &c.

Deinde dicit:

℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Al.*
℟. *Et ſalutare tuum da nobis. Alleluja.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Exaudi nos Domine Sancte, Pater Omnipotens,

potens, æterne Deus, & ſicut domus Hebræorum iu exitu de Ægypto agni ſanguine linitas, quod Paſcha noſtrum, in quo immolatus eſt Chriſtus, figurabat, ab Angelo percutiente cuſtodiſti, ita mittere digneris Sanctum Angelum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet atq; pefendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio Carnium quarumcunque.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui es verus ac immaculatus Agnus, quiq; immaculatus in ara Crucis peccata mundi delêſti, & nos ad ovile propriis humeris reportâſti, has carnes, quas ad uſus hominum creâſti, bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris, ut omnes ex eis ſumentes tuis benedictionibus repleti, & animæ & corporis ſanitatem (te annuente) ſemper accepiſſe lætentur, Salvator mundi. Qui vivis & regnas &c.

Oremus.

Deus univerſæ carnis, qui Noë & filiis ſuis de mundis & immundis animalibus præce-

pta dedisti, quique sicut olera herbarum humano generi quadrupedia munda manducare permisisti: qui agnum in Ægypto Moysi, & populo tuo in vigilia Paschæ comedere præcepisti, in figuram Agni Domini nostri Jesu Christi, cujus sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti, & Angelo juvante in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere præcepisti, servans populum tuum agni sanguine prænotatum: dignare quæsumus Domine, Deus omnipotens, bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare has carnes, ut quicunq; de tuis fidelibus populis ex eis comederint, omni benedictione cœlesti tuâ perenni repleti gratiâ satientur. Per eundem Dominum nostrum Jesum &c.

Aspergantur &c.

Benedictio Rosarum Sanctissimi Rosarii.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus Creatur & Conservator generis humani, dator gratiæ spiritualis, & largitor æternæ salutis, benedictione tua sancta bene ✠ dic has Rosas, quas pro gratiis tibi exsolvendis cum devotione ac veneratione Beatæ

sem-

ſemperque Virginis MARIÆ hodie tibi præſentamus, & petimus benedici, & infunde in eis per virtutem ſanctæ Crucis ✠ benedictionem cœleſtem, ut qui eas ad odoris ſuavitatem & repellendas infirmitates humano uſui tribuiſti, talem ſignaculo ſanctæ Crucis ✠ benedictionem accipiant, ut quibuscunque infirmitatibus appoſita fuerint, ſeu qui eas in domibus ſuis vel locis cum devotione habuerint & portaverint, infirmitates ſanentur, diſcedant diaboli, contermiſcant & fugiant pavidi cum ſuis miniſtris de habitationibus illis, nec amplius tibi ſervientes inquietate præſumant. Per Chriſtum &c.

Aſpergantur &c.

BenedictioSeminum & Segetum in Feſto Nativitatis B. Virginis MARIÆ.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, ſempiterne Deus, petimus ac rogamus, ut hos fructus ſegetum ac ſeminum tuis ſerenis oculis hilariq; vultu aſpicere digneris: & ſicut teſtatus es Moyſi famulo tuo in terra Æpypti dicens: Dic filiis Iſraël, cùm ingreſſi fuerint

terram promissionis, quam eis dabo, ut primitias fructuum suorum offerant Sacerdotibus, & erunt benedicti; sic & nos rogamus te Domine, ut per auxilium misericordiæ tuæ emittas super hunc fructum segetum dexteræ tuæ bene✠dictionem, quem ad exhibendum proferre digneris, ut non subruat grando, nec aëris inundatio exterminet, sed semper incolumis permaneat, propter usum animarum & corporum, & ad bene abundantem & plenissimam maturitatem producere digneris. Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas in secula seculornm. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cœlestis verbi seminator & cultor, qui nostri cordis aream spiritualibus rastris exerces: adesto propitius precibus nostris, & super agros, quibus si fuerint semina insita, tuam largam bene✠dictionem infunde, ac ab eis omnem vim procellarum gratiæ tuæ defensionis averte, ut omnis hic fructus & tua benedictione repleatur, & ad horrea sine impedimento perveniat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum &c.

Aspergantur aquâ penedictâ, & si fieri potest, thurificentur.

Bene-

Benedictio ſeminis bombicum.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Creator omnium Deus, qui ſemina fructificare & multiplicare facis, & in uſus noſtros miſericorditer concedis pervenire, intercedente Beato Jacobo Apoſtolo tuo ſupplicationes noſtras placatus intende, & hæc ſemina vermiculorum, qui ſericum condunt, bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare tua benignitate digneris, ut copioſos mittant effectus ſuos: Quatenus ad Eccleſiæ tuæ ſanctorumq; Altarium tuorum decorem & ornatum, atque etiam ad uſus noſtros perveniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Benedictio ad initium alicujus boni operis.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, à quo omne bonum ſumit initium, & ſemper ad potiora progrediens percipit incrementum: concede quæſumus ſupplican-

cantibus nobis, ut quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur, æterno tuæ paternæ sapientiæ munere perducatur ad terminum. Per Christum Dominum &c.

Benedictio pro Vinea.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui vineam tuam ex Ægypto eductam mirabiliter plantasti, preces nostras benignus exaudi, ut in vineam famulorum tuorum bene ✠ dictio cœlestis copiosa descendat, & quod in ea ad usum humani generis tribuere dignatus es, multipliciter redundando & rorem tuæ bene ✠ dictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Panis, vel Tritici, vel Farinæ, vel Leguminis, mutatis mutandis.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Peto ô Domine Jesu Christe, ut benedi-✠cas panem hunc, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut sit sumentibus salus mentis & corporis, atque contra morbos & universas

versas insidias Diaboli. Nam ego N. Sacerdos tuus in nomine tuo hunc panem bene✠dico, sancti✠fico & exorcizo, ✠ sicut Elias benedixit farinam in hydria Viduæ, & fecit subcinericium panem benedictum Eliæ, qui ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb: sic hunc panem in nomine tuo bene ✠ dico & sancti ✠ fico, creaturæ tuæ trado, ut accipiat & comedat, ad eradicandum à corpore suo omne maleficium, incantationem, ligamen, signum, & opus diabolicum, & ipsos Dæmones, omnemque febrim & qualemcunq; ægritudinem. O Domine Jesu Christe, qui es panis natus in Bethlehem, panis vitæ, bene ✠ dic & sancti✠fica eum, & ego per sanctum nomen tuum, & S. Ubaldi & S. Antonii Paduani eum bene✠dico & sancti ✠ fico, ac per ipsum sanctũ nomen tuum terribile destruo omnia maleficia; & per ipsum sanctum nomen, ô Domine Jesu, hunc panem bene✠dico & sancti✠fico, & virtutem tui sanctissimi nominis infundo; ut sit contra omnes vexationes diabolicas. Bene ✠ dico hunc panem & sancti ✠ fico, & Dominus tecum sit, ô panis benedicte, ut extinguas venena, noxia comprimas, adversa depellas, maleficia destruas,

 dæmo-

dæmonia fuges ab hac creatura N. & à cunctis creaturis. O S. Michaël benedic ✠ hunc panem per tuam sanctam pietatem. O S. MARIA sanctifica hunc panem, ut qui comederint ex eo, recipiant sanitatem & tuam sanctam benedictionem. O S. Pater Ubalde & S. Antoni de Padua infunde in hunc panem tuam benedictionem, ut sit ignis ardens contra Dæmones, & destruat facturas, & omnia opera Satanæ. Amen.

Benedicat quæsumus Domine S. Pater per amorem Filii tui virtus Spiritus S. panem istum, & ita benedicat, ✠ inflammet ✠ & exorcizet, ut quicunq; ex eo comederit sive gustaverit in nomine tuo, & dilecti Filii tui, & Spiritus S. ab omnibus operibus Satanæ sanetur. Da Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut quod rogamus & exoramus, obtineamus in nomine tuo, & dilecti Filii tui, & Spiritus Sancti. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ

Benedictio Columbariorum, Pullariorum, & ejusmodi locorum, in quibus conservantur aves.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Ore-

Oremus.

Deus æterne, ante cujus conspectum assistunt Angeli, & cujus nutu reguntur universa, qui etiam necessariis humanæ fragilitatis tua pietate consulere non desinis: te humiliter imploramus, ut habitaculum istud illa bene✠dictione perfundas, quâ per Angelum stantem in Sole mandasti omnibus avibus dicens: Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei; ut semper hic tuæ bene✠dictionis copia redundante laudes tibi referant servi tui, qui das escam omni carni, & imples omne animal benedictione Salvator noster, Qui vivis & regnas &c.

Oremus.

Deus universæ creaturæ, qui inter cæteras diversarum creaturarum species, & pro humani generis usu etiam volatilium genus producere dignatus es, ex quibus Noë de Arca egrediens holocausta tibi offerens placuit, & qui populo tuo ex Ægypto educto per Moysen servum tuum, munda ab immundis segregans, edendi præceptum dedisti; te suppliciter rogamus, ut has mundarum avium carnes bene✠dicere & sancti✠ficare digneris, ut quicunq; ex eis comederint, benedictionis tuæ abundantiâ repleantur, & ad æternæ vitæ gaudia pervenire

mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur &c.

Benedictio Salis & Aquæ, contra Vermes & Aves nocivas.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte Pater, Omnipotens æterne Deus, mitte Spiritum tuum Sanctum cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, & cum eis omnes sanctos electos tuos, ut defendant segetes nostras à vermibus malis & avibus, & magnificetur nomen tuum in omni loco. Per Christum &c. ℟. Amen.

Oremus.

Bene ✠ dic Domine hanc creaturam salis & aquæ, ut fugiant vermes & volucres à nostris segetibus propter nomen Domini nostri Jesu Christi, quod invocatum est in ipsa creatura messis, ut fiat alimentum omnibus qui vivunt ex ea. Per eundem Christum &c. ℟. Amen.

Conspergatur aquâ benedictâ.

Deinde benedicuntur segetes, addendo sequentes orationes:

℣. *Domi-*

℣. *Dominus vobiscum.* ℞. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Preces noſtras quæſumus Domine clementer exaudi, ut quid juſtè pro peccatis noſtris affligimur, & hanc avium, vermium, ſeu murium, aut locuſtarum vel aliorum animalium perſecutionem patimur: pro tui nominis gloria ab ea miſericorditer liberemur, ut procul à tua potentia expulſi nulli noceant, & hos campos, agros, vel vineas aut aquas in tranquillitate & quiete dimittant, quatenus ex eis ſurgentia & orta, tuæ Majeſtati deſerviant, & noſtræ neceſſitati ſubveniant. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miſerator, in cujus nomine omnia genua flectuntur, cœleſtia, terreſtria & infernalia: tuâ potentiâ nobis peccatoribus concede, ut quod de tua miſericordia confiſi agimus, per tuam gratiam efficacem ejus conſequamur effectum, quatenus hos peſtiferos vermes, vel mures, aves, vel locuſtas, vel alia animalia per nos ſervos tuos maledicendo maledicas, ſegregando ſegreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peſte liberati gratiarum actiones Majeſtati

ſtati tuæ liberè referamus. Per Dominum noſtrum &c.

Exorcizo vos ✠ peſtiferos vermes, vel mures, aves, ſeu locuſtas, ſeu alia animalia, per Deum Patrem ✠ omnipotentem, per Jeſum Chriſtum ✠ Dominum noſtrum, per Spiritum ✠ Sanctum ab utroque procedentem, ut confeſtim recedatis ab his campis, vel vineis, vel aquis, nec amplius in eis habitetis, ſed ad loca tranſeatis, in quibus nemini nocere poſſitis.

Pro parte omnipotentis Dei, & totius curiæ cœleſtis, & ex parte Eccleſiæ ſanctæ Dei, vos maledicentis: quocunq; ieritis, ſitis maledicti, deficientes quotidie & decreſcentes: ita ut reliquiæ de vobis in nullo inveniantur, niſi in neceſſariis ad ſalutem & uſum humanum. Quod præſtare dignetur, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. Amen.

Aſpergatur aër & terra.

Benedictio tempore peſtis Animalium.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Miſericordiam tuam Domine ſupplices exora-

exoramus, ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, in nomine tuo atq; tuæ benedictionis ✠ virtute ſanentur. Extinguatur in eis omnis diabolica poteſtas, nec ulterius ægrotent. Tu eis Domine ſis defenſaculum vitæ, & remedium ſanitatis. Per Dominum noſtrum &c.

Aſpergantur &c.

Benedictio Vini vel Aceti, mutatis mutandis.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Exorcizo te creatura vini in nomine Pa- ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, ne ſis communis ulli ſpiritui immundo ad honorem S. MARIÆ, & S. Ubaldi, ac S. Antonii de Padua, ut qui te devotè biberit & guſtaverit, omnis ſpiritus immundus ab eo recedat cum facturus ſuis, itaq; exorcizo, ✠ benedico ✠ te creatura vini in nomine Jeſu Chriſti, & S. Ubaldi, ac S. Antonii de Padua, ut ſis purgatio omnium maleficiorum. Dignare ô S. Pater Ubaldi, ac S. Antonii de Padua hoc vinum bene ✠ dicere & ſancti- ✠ ficare, ad liberandas & ſanandas creaturas Dei ab omnibus maleficiis & dæmoniis. O Domine Jeſu Chriſte, ſicuti convertiſti in

Cana

Cana Gelilææ aquam in vinum; ita bene-✠ dicere, exor✠cizare & ſancti✠ficare tua pietate digneris hoc vinum, ut ſi remedium efficax contra omnem poteſtatem omnium inimicorum noſtrorum, & etiam contra omnes facturas, quæ factæ ſunt, & fient, & nullus ſpiritus cujuſcunq; generis poſſit latere in tua creatura, quæ guſtaverit hoc vinum benedictum. Peto Domine per tuam ſanctam paſſionem & Crucem, ut qui biberit ex hoc vino benedicto, mundetur à ſpiritibus immundis & ab omni maleficio, & omnis virtus diaboli exterminetur, & poſteas tua Domine, in virtute verborum tuorum, prævaleat. O Domine infunde tuam ſanctam bene✠dictionem in hoc vinum, ut alligata ſint vulnera Satanæ: & ego bene✠dico hoc vinum & ſancti✠fico in nomine ſancto tuo, ut vulpes infernales demolientes hanc vineam tuam, ponentes eam in deſertum, unà cum operibus ſuis, & maleficiis, & facturis deſtruantur, confringantur & annihilentur. Succurre ergo Domine, & bene✠dic, & ſancti✠fica hoc vinum, ut ſit vinum gratiæ, ſcientiæ, ſapientiæ, fervoris & amoris, ad ſanandas tuas creaturas ex eo guſtantes & bibentes, corpus reficiat & corroboret, intellectum clarificet, cor lætificet, dolorem & triſtitiam

ſtitiam quamcunq; expellat, maleficia cuncta deſtruat & annihilet à creaturis tuis ex eo bibentibus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Bene✠dico hoc vinum & ſancti✠fico, ut ſit tanquam vinum, quod Chriſtus dat ſuis devotis in convivio ſuo ſpirituali. Adhuc bone Jeſu dic verbum, & benedic ✠ & ſanctifica ✠ hoc vinum. Tandem bene ✠ dico illud, & per hoc ſanctum vinum deſtruo omnia meleficia, & fugo dæmones per eum, qui torcular calcavit ſolus. Amen.

Benedictio Medicinæ, vel Brodei &c. pro vexatis à ſpiritibus immundis, mutatis mutandis.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Quæſumus clementiam tuam, ô æterne Deus, ut hanc Medicinam ac expellendas omnes ægritudines, & virtutes diabolicas, & infeſtationes maleficiales, imò & ipſos Dæmones à corporibus humanis, quam in nomine ſancto tuo & Divi Ubaldi, ac S. Antonii de Padua bene✠dico & ſancti✠fico, ſic tu omnipotens & clementiſſime Deus bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris. In omni,

qui

qui eam biberit, extingue febrium infestationes, viscerum tormenta cura, cordis capitisq; dolores, & passionis cunctas dissolve, gravitates peccatorum remove, infestationes cunctas à quibusvis partibus corporis resolve, phantasmatis adesto pericnlis, tumoresq; compesce. Sit hæc Medicina expulsio præsentis morbi, & fuga Diaboli, cum suis sociis, facturis & armis. Exorcizo te ✠ creatura Medicinæ in nomine Jesu, ut virtutem naturalem retineas, supernaturalem recipias, adjurata in nomine Christi : bene ✠ dic Domine hanc Medicinam, & virtus Spiritus S. sit super eam, ad evacuanda, destruenda, annihilanda & eradicanda à corpore humano maleficia nuncta, cujuscunq; generis sint, & simul ad expellendum ipsum Dæmonem. Prout ego N. Sacerdos tuus bene ✠ dico, exor ✠ cizo & sancti ✠ fico; Bene ✠ dictiones cunctæ servorem Dei sint super te ô Medicina, ut sis potens ad effugandos Dæmones cum suis facturis & armis diabolicis. Tandem benedictio S. Ubaldi Episcopi & S. Antonii de Padua sit super te. ✠ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Aspergantur &c.

Bene-

Benedictio Prandii vel Cœna, pro iisdem vexatis.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ego N. Sacerdos Dei bene ✠ dico atq; exor✠cizo vos creaturas panis, vini, potus, carnis, fructus & cujuscunque comeſtibilis, per illum, qui benedixit panes in deſerto, & multiplicavit. Et per illum, qui aquam in vinum convertit, & qui manna Patribus dedit in deſerto, omne delectamentum in ſe habens, ut ſitis fortitudo, & ſanitas, atq; purificatio hu[illegible], & omnibus creaturis Dei ſumentibus vos, ad effugandos omnes ſpiritus immundos, omnem nefariam diaboli poteſtatem, facturas ſuas, figuras omnes, & minas ejus exterminandas, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos. Purifica Domine Jeſu Chriſte, bene ✠ dic & ſancti ✠ fica quæſo has creaturas cibi & potus, quas ego N. Sacerdos tuus in tuo nomine, & S. Ubaldi, ac S. Antonii de Padua ſervi tui bened✠dico, purifico & ſancti ✠ fico, ut quicunq; comederit vel biberit ex eis, per dilectionem B.M. V. S. Ubaldi, S. Antonii de Padua, & omni-

um Sanctorum, bibat & comedat coram Domino cum omni lætitia, & sint contra maleficia & insidias diaboli, quæ maleficia per hæc potabilia & comestibilia destruo & annihilo, & etiam fugo dæmones, & omnia diabolica in nomine Jesu confringio, & eradico, & ejicio â corporibus humanis. O creatura Dei, tolle has creaturas cibi & potus, quas misit tibi Deus, & quas ego Sacerdos Dei. exor✠cizo, purifico, bene✠dico & sancti✠fico in nomine sancto ejus, & S. MARIÆ Virginis, & P. Ubaldi, ac S. Antonii de Padua. Requiesce ergo, comede & bibe, & in nomine Jesu recedat à te Satan cum omnibus suis facturis. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Benedictio Cilicii.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, qui corporibus pœnitentibus hoc indumentum imposuisti, & per illud misericordiam & veniam tribuisti: oramus clementiam tuam, ut indumentum hoc; quod vocatur Cilicium, bene✠dicere & sancti✠ficare digneris, ut qui-

quicunque eo pro peccatis indutus fuerit, & nimiam tuam imploraverit veniam, indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequatur. Per Dominum nostrum &c.

Aspergatur &c.

Benedictio Armorum ac Exercituum ad conterendos Ecclesiæ hostes.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore accesserunt ad Jesum Discipuli secretò, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui & consumationis seculi? Et respondens Jesus dixit eis: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent. Audituri enim estis prælia & opiniones præliorum. Videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. ℟. *Laus tibi Christe.*

 ℣. *Domi-*

℣. Domine non secundùm peccata nostra, quæ fecimus nos.

℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Domine ne memineris iniquitatem nostrarum antiquarum.

℟. Citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

℣. Tu es Deus, qui facis mirabilia solus.

℟. Notam fecisti in gentibus virtutem tuam.

℣. Liberasti in brachio tuo populum tuum.

℟. Filios Israël & Joseph.

℣. Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus.

℟. Tu solus altissimus super omnem terram.

℣. Deus meus pone illos ut rotam.

℟. Et sicut stibulam ante faciem venti.

℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Quæsumus clementiam tuam omnipotens Deus, ut hæc arma, quibus ad expugnandos adversarios fidei milites tui accingere præsumunt, tua immensa bene✠dictione repleta, illis omnino non noceant, sed

ad

ad victoriam deserviant in terris, nec non ad præmia consequenda æternaliter in cœlis. Per Christum Dominum &c.

Oremus.

Deus qui credentes in te populos nullis finis concuti terroribus: dignare preces & hostias dicatæ tibi plebis suscipere, ut pax à tua pietate concessa Christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos.

Deus qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium potentiâ tuæ defensionis expugnas, auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, ut inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus. Per Dominum &c.

Aspergantur aquâ benedictâ, & benedicendo Exercitum dicatur:

Bene † dicat vos Deus, Deus noster: benedicat vos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Roboramini, & estote viri fortes: Accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, induite loricam justitiæ, & calceate pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis accipite, & gladium Spiritus, quod est Verbum Dei. In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † Sancti, Amen.

Remedium contra Peſtem.

Relatio, explanatio & benedictio characterum ſive litterarum quarundam in forma Crucis diſpoſitarum, quæ pia veneratione deferri conſueverunt tempore Peſtis.



Relatio.

Quando Anno 1546. Tridenti gravissima grassabatur pestis, referuntur Patres Concilii Tridentini cum devotione deportâsse quosdam Charecteres in forma Crucis dispositos, à S. Zacharia Episcopo vetusto Hierosolymitano collectos, & in effectu deprehendisse, ipsorum deportationem ac venerationem esse utile remedium contra pestem, utpote signantium varias devotas preces jaculatorias, & affectuosas, vetustas & approbatas precatiunculas, pro avertendo malo contagionis; uti constat ex eorum explanatione infrà posita. Fuerunt autem dicti Characteres olim ab eodem S. Antistite manu propria in membranâ conscripti, ac demum in Hispaniensi Monasterio de Frayles rursus reperti, & in venerationem positi cum miro effectu devotarum personarum, illos venerantium, deportantium, & eorum signata orantium. Ut videre est in Nucleo Benedictionum p. 146. & sequentibus.

Explanatio Characterum.

✠. Z. ✠. D. I. A. ✠. B. I. Z. ✠. S. A. B. ✠. Z. ✠. H. G. F. ✠ B. F. R. S.

Sacræ hæ Litteræ à S. Zacharia Episcopo Hierosolymitano ante aliquot centenos annos in membrana manuscripta, in Hispaniensi Monasterio de Frayles repertæ sunt, unà cum earundem expositione & oratione.

✠. Crux Christi salva me.

Z. Zelus domus tuæ liberet me.

✠. Crux vincit, Crux regnat, Crux imperat, per signum Crucis libera me Domine ab hac peste.

D. DEUS DEUS meus expelle pestem à me & à loco isto, & libera me.

I. In manus tuas Domine commendo spiritum meum, cor & corpus meum.

A. Ante cœlum & terram Deus erat, & Deus potens est liberare me ab ista peste.

✠. Crux Christi potens est ad expellendam pestem ab hoc loco & à corpore meo.

B. Bonum est præstolari, auxilium DEI cum silentio, ut expellat pestem à me.

I. Inclinabo cor meum ad faciendas justificationes tuas, ut non confundar, quoniam invocavi te.

Z. Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns, & speravi in te.

✠ Crux Christi fuget dæmones, aërem corruptum & pestem expellat.

S. Salus tua ego sum, dicit Dominus: clama ad me, & ego exaudiam te, & liberabo te ab hac peste.

A. Abyssus abyssum invocat, & voce tua expulisti dæmones; libera me ab hac peste.

B. Beatus vir qui sperat in Domino, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

✠. Crux Christi, quæ antea fuit in opprobrium & contumeliam, & nunc in gloriam & nobilitatem, sit mihi in salutem, & expellat à loco isto diabolum, & aërem corruptum, & pestem à corpore meo.

Z. Zelus honoris Dei convertat me antequam moriar, & in nomine tuo salva me ab ista peste.

✠. Cru-

✠. Crucis ſignum liberet populum DEI, & à peſte eos, qui confidunt in eo.

H. Hæccine reddis Domino popule ſtulte? redde vota tua offerens ſacrificium laudis, & fide illi, quia potens eſt iſtum locum & me ab hac peſte liberare, quoniam qui confidunt in eo, non confundentur.

G. Gutturi meo & faucibus meis adhæreat lingua mea, ſi non benedixero tibi: Libera ſperans in te, in te confido, libera me Deus ab hac peſte, & locum iſtum, in quo nomen tuum invocatur.

F. Factæ ſunt tenebræ ſuper univerſam terram in morte tua Domine, Deus meus, fiat lubrica & tenebroſa diaboli poteſtas, quia ad hoc veniſti Fili Dei vivi, ut diſſolvas opera diaboli, expelle tuâ potentia à loco iſto & à me ſervo tuo peſtem iſtam, diſcedat aër corruptus à me in tenebras exteriores.

✠. Crux Chriſti defende nos, & expelle à loco iſto peſtem, & ſervum tuum libera à peſte iſta, quia benignus es, & miſericors, & multæ miſericordiæ, & verax.

B. Beatus qui non reſpexit in vanitates & inſanias falſas, in die mala liberabit eum Dominus. Domine in te ſperavi, libera me ab hac peſte.

F. Factus eſt Deus in refugium mihi, quia in te ſperavi, libera me ab hac peſte.

R. Reſpice in me Domine Deus meus Adonai de ſede ſancta Majeſtatis tuæ, & miſerere mei, & propter miſericordiam tuam ab iſta peſte libera me.

S. Salus mea tu es; ſana me, & ſanabor, ſalvum me ſac, & ſalvus ero.

Hæ litteræ debent priùs benedici à Sacerdote.

Benedictio Characterum præſatæ Crucis.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus omnipotens, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, ſupplices te rogamus, ut manibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, & hos Characteres & Litteras ad aligandos dæmones morboſq; pellendos tua revelatione præparatas, virtute S. Spiritus bene ✠ dicere digneris, & omnibus eis utentibus ſanitatem mentis & corporis, & gratiam ſanctificationis benignus concede, ut in conſpectu tuo ſancti & immaculati, atq; irreprehenſibiles appareant, & inſidias latentis inimici, per auxilium miſericordiæ tuæ, clementer effugiant. Per Dominum noſtrum &c. Ore-

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui voluisti pro mundi redemptione de Virgine nasci, in carne tua sanctissima circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, crucifigi, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lanceâ vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per tuam sanctissimam crucem & mortem, libera hunc locum cum omnibus incolis ejus, & me servum tuum, & omnes, quicunq; per litteras & characteres hos invocaverint nomen sanctum tuum, ab ista peste, & expelle illam, & omnes insidias diabolicæ fraudis, atque omnes nos pristinæ restitue sanitati, fracto cujuscunque generis malitiæ vinculo. ℞. Am.

Exorcismus S. Zachariæ.

Maledicti, & excommunicati, & blasphæmi dæmones, in virtute vorborum istorum, Messias, Emmanuel, Sabaoth, Adonay,

nay, Athanatos, Iſchyrios, Eleiſon, Imas, Irios, Tetragrammaton, vos conſtringimus, vos privamus, vos expellimus de hac civitate & loco, & domibus ejus, & præcipimus vobis, ut non habeatis poteſtatem per peſtem necere corporibus habitantibus in ea, ite, ite, ite ſtatim in ſtagnum ignis, ite ſtatim ad loca vobis deputata, & non amplius habitatores hujus loci occidatis.

Imperat vobis Deus Pater. ✠ Imperat vobis Deus Filius. ✠ Imperat vobis Deus Spiritus Sanctus. ✠ Imperat vobis Sanctiſſima Trinitas, ✠ unus Deus: diſcedite maledicti dæmones in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Am.

Oremus.

Deus qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

Deus qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris, Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut famulos tuos de tua miſericordia confidentes cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerves, ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus à te ſeparentur. Per Dominum

num nostrum Jesum Christum Filium tuum &c.

Benedictionem ✠ tuam Domine populus fidelis accipiat, quâ corpore salvetur, & mente, & congruam exhibeat servitutem, & propitiationis tuæ beneficia semper inveniat. Oremus.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. MARIÆ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ.

Da nobis, quæsumus Domine, piæ petitionis effectum, & pestilentiam mortalitatemque propitiatus averte, ut mortalium corda cognoscant, à te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ.

Exorcismus super persona obsessa à Dæmone.

IN primis necesse est, ut ipse Exorcista maxima cum fide, conscientiâ mundâ, & magna cum humilitate ad munus hoc præstandum accedat: ac prius (si fieri poterit) Missæ sacrificio celebrato: memineritque esse aliquod genus dæmoniorum, quod non nisi oratione & jejunio expellitur.

Disponat obsessum, ut contritione ac confessione mundet conscientiam, & ut frequenter oret Deum, ut ab eo flagello illum liberet, si ad ejus salutem promerendam expedit. Ne facilè credat, aliquem à Dæmonio esse obsessum, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus à Dæmone ab iis, qui atrabile, vel morbo aliquo affecti sunt, dignoscitur. Certissima signa hæc sunt, ignota linguâ bene & diu loqui, aut distantia & occulta patefacere.

Probabilia autem signa sunt, ad sacra verba contremiscere, torsiones, motus, furores insolitos ac repentinos sentire, horrere ac detestari divina, & dolore ob ea affici, corporis vel alicujus membri insolita inflatio, vires aliquando suprà ætatis vel conditionis naturam.

Prætereà caveat Exorcizans, ne quidquam curiosè à Dæmone quærat: sed ea tantùm interroget, quæ ad ejus expulsionem necessaria esse judicaverit: alioquin curiosa vel occulta ab eo suscitari, grave peccatum est, & prohibitum à summo Pontifice Sixto Quinto; Necessaria autem hæc videntur, nimirum interrogare de numero spirituum obsidentium, de causa seu occasione, quâ in corpus ingressi sunt, & de tempore: cæteras autem Dæmonis nugas, risus, ineptias, nec advertat ipse, & circumstantes ne curent admoneat: hæc enim nugis animum à devotione avocat.

Cùm Dæmon superbus sit, profuerit illum opprobriis urgere, Christi exemplo, qui Dæmones nequam & immundos spiritus appellabat. Hoc autem faciat magna cum fide, memor potestatis, quam à Domino accepit, ut Dæmonibus imperet.

Advertat insuper Exorcista in mulieribus exorcizandis, ut honestatis sit memor, neve quidpiam dicat vel faciat, quod vel ipsi vel mulieri occasio esse possit alicujus impudicæ cogitationis. Moneat etiam eum qui obsidetur, si divinâ gratiâ liberatus fuerit, ut diligenter sibi caveat à peccatis, etiam levioribus, ne occasionem præbeat Dæmoni iterum regrediendi.

Caveat autem Exorcista, ne ipse hoc munus exerceat, nisi priùs habitâ in scriptis facultate a superiori suo Majori.

Quando itaque Exorcista volet actu exorcizare aliquam personam à Demone obsessam, prius confiteatur, aut conteratur de omnibus suis peccatis: legat etiam Missam, si tempus commodum sit, ut sit cælesti illo ac supremo domitore Dæmonum Christo Salvatore nostro monitus, audacius & potentius contra superbos spiritus obsidentes procedere valeat. Deinde armet se efficaci actu fidei,

fidei, qui aptissimus est ad impugnandos & ejiciendos immundos spiritus; ad eundemque etiam inducat personam obsessam statim à principio Exorcismi. Dum autem actualiter volet Exorcismum inchoare, muniat se signo S. Crucis, & aspergat se, ac adstantes, & obsessam aquâ benedictâ. Desuper recitet Litanias omnium Sanctorum usque ad preces exclusivè. Posteà dicat Antiphonam:

Ne reminiscaris &c. Pater noster &c.

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*

Psalmus 53.

DEUS in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meã: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus. Gloria Patri &c.

℣. *Salvum fac servum tuum.*

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil*

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, *vel* famulam tuam, quem *vel* quam delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui illum refugam tyrannum & apostatam gehennæ ignibus deputasti, quiq; unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret, velociter attende, accelera, ut eripias hominem, ad imaginem & similitudinem tuam creatum, à ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super pestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam servis tuis, contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat, sicut in Pharaone, qui jam dixit: Deum non novi, nec Israël dimitto. Urgeat illum dextera

tua

tua potens discedere à famulo N. vel famula N. tua, ne diutius præsumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in Filio tuo redemisti, qui tecum vivit &c.

Deinde præcipiat Dæmoni in hunc modum:

Præcipio tibi, quicunque es, spiritus immunde, & omnibus sociis tuis, hunc Dei famulum *vel* famulam obsidentibus, ut per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, per missionem Spiritus Sancti, & per adventum ejusdem Domini nostri ad judicium, dicas mihi nomen tuum, diem & horam exitus tui, cum aliquo signo, & ut mihi Dei ministro (licet in digno) prorsus in omnibus obedias, neq; hanc creaturam DEI, vel circumstantes, aut eorum bona ullo modo offendas.

Deinde legantur super obsessum hæc Evangelia, vel unum, aut alterum.

✠ Initium Sancti Evangelii secundùm Joannem.

℟. *Gloria tibi Domine.*

Hæc dicens signet se & obsessum in fronte, ore & pectore.

In principio erat Verbum &c. *ut suprà pag.* 119.

Deinde

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Marcum.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpens tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.

℟. *Laus tibi Christe.*

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore reversi sunt septuaginta duo cum gaudio dicentes ad Jesum: Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis

subji-

ſubjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. ℟. *Laus tibi Chriſte.*

✠ Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam.

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum, & cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia: & alii tentantes ſignum de cœlo quærebant ab eo. Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtapit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt? ideo ipſi judices veſtri erunt. Porrò ſi in digito DEI ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet: ſi autem fortior eo ſuper veniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus deſtribuet. ℟. *Laus tibi Chriſte.*

℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, Deus & Dominus universæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, qui inter cætera mirabilum tuorum præcepta dignatus es dicere: Dæmones effugate; cujus virtute motus, tanquam fulgur de cœlo Satanas cecidit: tuum sanctum nomen cum timore & tremore suppliciter deprecor, ut indignissimo mihi servo tuo (datâ veniâ omnium delictorum meorum) constantem fidem & potestatem donare digneris, ut hunc crudelem dæmonem, brachii tui sancti munitus potentiâ, fidenter & securus aggrediar. Per te Jesu Christe Domine Deus noster, qui venturus es judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Deinde muniens se & obsessum signo Crucis, circumposita parte stolæ ad collum ejus, & dextera manu sua capiti ejus imposita, constanter & magna cum fide dicat ea quæ sequuntur.

Ecce Crucem ✠ Domini, fugite partes adversæ; vicit Leo de tribu Juda, radix David.

℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, invoco nomen ſanctum tuum, & clementiam tuam ſupplex expoſco, ut adverſus hunc & omnem immundum ſpiritum, qui vexat hoc plaſma tuum, mihi auxilium præſtare digneris. Per eundem Dominum &c.

Exorciſmus.

Exorcizo te immundiſſime ſpiritus, omnis incurſio adverſarii, omne phantaſma, omnis legio, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ✠ eradicare & effugare ab hoc plaſmate Dei. ✠ Ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipſe tibi imperat, qui mari, ventis & tempeſtatibus imperavit. Audi ergo, & time Satana, inimice fidei, hoſtis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, juſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum, quid ſtas & reſiſtis, cùm ſcias Chriſtum Dominum vires tuas perdere? Illum metue, qui in Iſaac immolatus eſt, in Joſeph venundatus, in agno occiſus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit. (*ſequentes Cruces fiant in fronte obſeſſi*) Recede ergo in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, &

Spiritus ✠ Sancti. Da locum Spiritui Sancto per hoc ſignum ✠ Crucis Jeſu Chriſti Domini noſtri. Qui cum Patre & eodem Spiritu Sancto &c.

℣. *Domine exaudi orationem* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, Conditor & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formaſti: reſpice ſuper hunc famulum tuum, qui dolis immundi ſpiritus appetitur, quem vetus adverſarius, antiqvus hoſtis terræ, formidinis horror circum volat, & ſenſum mentis humanæ ſtupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagiat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallacesque ejus inſidias amove: procul impius tentator aufugiat: ſit nominis tui ſigno ✠ (*in fronte*) famulus tuus munitus, & in anima tutus & corpore. (*Tres Cruces ſequentes fiant in pectore dæmoniaci*) Tu pectoris ✠ hujus interna cuſtodias. Tu viſcera ✠ regas. Tu cor ✠ confirmes: in anima adverſatricis poteſtatis tentamenta evaneſcant. Da Domine ad hanc invocationem ſanctiſſimi nominis tui gratiam, ut qui hucusq; terrebat, territus aufugiat, victus abſcedat, tibique poſſit hic famulus tuus, & corde firmatus, & mente ſincerus,

rus, debitum præbere famulatum. Per Dominum nostrum &c.

Adjuratio I.

Adjuro te serpens antique, ut per Judicem vivorum & mortuorum, per Factorem tuum, per Factorem mundi, per eum, qui habet potestatem mittendi te in gehennam: ut ab hoc famulo Dei, qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu & exercitu furoris tui festinus discedas. Adjuro te iterum ✠ (*in fronte*) non mea infirmitate, sed virtute Spiritus Sancti, ut exeas ab hoc famulo DEI, quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede non mihi, sed ministro Christi: Illius te urget potestas, qui te Cruce sua subjugavit, illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus inferni animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis, ✠ (*in pectore*) sit tibi formido imago Dei, ✠ (*in fronte*) ne resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus. ✠ Imperat tibi Majestas Christi. ✠ Imperat tibi Deus Pater. ✠ Imperat tibi Deus Filius. ✠ Imperat tibi Deus Spiritus Sanctus, ✠

Imperat tibi Sacramentum Crucis ✠ Imperat tibi fides Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & cæterorum Sanctorum. ✠ Imperat tibi Martyrum sanguis. ✠ Imperat tibi continentia Confessorum. ✠ Imperat tibi pia Sanctorum & Sanctarum omnium intercessio. ✠ Imperat tibi Christianæ fidei mysteriorum virtus. ✠ Exi ergo transgressor. Exi seductor plene omni dolo & fallacia, virtutis inimice, innocentium persecutor. Da locum dirissime. Da locum impiissime. Da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis, qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, & vasa tua diripuit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculentè reniteris? quid temerariè detrectas? Reus es omnipotenti Deo, cujus statuta transgressus es. Reus es Filio ejus Jesu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persvasionibus mortis venenum propinasti. Adjuro ergo te draco nequissime, in nomine Agni ✠ immaculati, qui ambulavit super aspidem & basiliscum, qui conculcavit leonem & draconem, ut discedas ab hoc homine, ✠ (*in fronte*) discedas ab

Eccle-

Ecclesia Dei. ✠ (*super circumstantes*) Contermisce, & effuge in vocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui Virtutes cœlorum, & Potestates, & Dominationes subjectæ sunt, quem Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi ✠ Verbum caro factum. Imperat tibi ✠ natus ex Virgine. Imperat tibi ✠ Jesus Nazarenus, qui te (cùm Discipulos ejus contemneres) elisum atq; prostratum exire præcepit ab homine, quo præsente, cùm te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi præsumebas: Recede ergo nunc adjuratus in nomine ✠ ejus ab homine, quem ipse plasmavit. Durum est tibi velle resistere. ✠ Durum est tibi contra stimulum calcitrare. ✠ Quia quantò tardiùs exis, tantò magis tibi supplicium crescit: quia non homines contemnis, sed illum qui dominator est vivorum & mortuorum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum,

Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus qui potestatem habet donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu Creator cœli & terræ, qui verus Rex es, & cujus regni non erit finis; humiliter Majestatem gloriæ tuæ supplico, ut hunc famulum tuum de immundis spiritibus liberare digneris. Per Christum Dominum &c.

Adjuratio II.

Adjuro ergo te omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio Satanæ. In nomine Jesu Christi ✠ Nazareni, qui post lavacrum Jordanis in desertum ductus est, & te in sedibus vicit: ut quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formavit, tu desinas impugnare, & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo, ✠ qui te & malitiam tuam in Pharaone & in exercitu ejus per Moysem servum suum in abyssum demersit. Cede Deo, ✠ qui te per fidelissimum servum suum David de Rege Saule spiritualibus canticis pulsum fugavit. Cede Deo, ✠ qui te in Juda Iscariote proditore damnavit. Ille enim te divinis

vinis verberibus tangit, in cujus conſpectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixiſti: Quid nobis, & tibi Jeſu Fili Dei Altiſſimi, veniſti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dicturus eſt impiis: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Tibi enim impie, & Angelis tuis, vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi & Angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidii, tu auctor incæſtûs, tu ſacrilegiorum caput, tu actionum peſſimarum magiſter, tu hæreticorum doctor, tu totius obſcænitatis inventor. Exi ergo ✠ impie. Exi ✠ ſcelerate. Exi ✠ cum omni fallacia tua, quia hominem Templum ſuum eſſe voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo Patri omnipotenti, ✠ cui omne genu flectitur. Da locum Domino Jeſu Chriſto, ✠ qui pro homine ſanguinem ſuum ſacratiſſimum fudit. Da locum Spiritui Sancto, ✠ qui per Beatum Apoſtolum ſuum Petrum te manifeſtè ſtravit in Simone Mago: qui fallaciam tuam in Anania & Saphira condemnavit: qui te in Herode Rege honorem Deo non danti percuiſſit: qui te in Mago Elima per Apoſto-

postolum suum Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eundem de Phytonissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc, ✠ discede seductor. ✠ Tibi eremus sedes est. Tibi habitatio serpens est: humiliare & prosternere. Jam non est differendi tempus. Ecce enim Dominator Dominus proximat citò, & ignis ardebit ante ipsum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus: si enim hominem fefelleris, Deum non potes irridere. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cujus virtuti universa subjecta sunt. Ille te excludit, qui tibi & Angelis tuis præparavit æternam gehennam: de cujus ore exibit gladius acutus: qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Hæc omnia repeti poterunt, donec obsessus fuerit liberatus, juvabit etiam dicere devotè sæpeque repetere Pater noster &c. Ave Maria &c. Credo &c. Magnificat &c. Benedictus. &c. Nunc dimittis &c. Symbolum S. Athanasii. *Psalm.* Qui habitat &c. Exurgat Deus &c. Deus in adjutorium meum intende &c. Confitemini Domino quoniam bonus &c. Judica Domine nocentes me &c. In te Domine speravi &c. Deus Deus meus respice in me &c. Domine quid multiplicati sunt &c. In Domino confido &c. Usquequo Domine obliviseeris me in finem &c. *Qui Psalmi videndi sunt in Rituali Romano, prout necessitas urgebit, ubi latius documenta exorcizandi inveniuntur circa finem.*

Ore-

Oremus.

Deus, qui per Unigenitum tuum (exclusa dominatione diaboli) populum tibi fidelem aptasti: expelle quæsumus à famulo tuo cunctas diabolicæ illusionis insidias, & eum illibatum ab omni ejus impugnatione conserva. Per eundem &c.

In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Omnipotens æterne Deus, à cujus facie cœli distillant, montes sicut cera liquescunt, terra tremuit, cui parent abyssi, quem infernus pavescit, quem omnis terrarum motum aspicit: humiliter & supplex te deprecor Dominator Domine, ut invocatione nominis tui ab hujus famuli tui N. vexatione anima liberata ad auctorem suæ salutis recurrat, liberatorumq; suum, diabolico depulso fætore, & odore suavissimi Spiritus Sancti percepto, sequatur Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit & regnat &c.

Aspergatur &c.

Post liberationem.

Oramus te Domine, omnipotens Deus, ut spiritus iniquitatis amplius non habeat potestatem in hoc famulo tuo N. sed fugiat, & non revertatur. Ingrediatur in eum, te juben-

jubente, bonitas & pax Domini nostri Jesu Christi, per quem redempti sumus, & ab omni malo, non timemus, quia Dominus nobiscum est. Qui vivit & regnat Deus &c

Poterunt dici pro gratiarum actione Litaniæ B. V. MARIÆ, &c. Te DEUM Laudamus &c. prout in Domino magis expedire videtur.

DE RITIBUS NONNULLIS FRANCISCANIS ET ECCLESIASTICIS.

Ritus induendi pueros vel puellas habitu S. Francisci, vel S. Claræ, ex Voto.

Primò benedicuntur vestimenta super aliquod Altare jacentia modo sequenti.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui pro salute nostra suscipiens humanam naturam, te vestimento carnis induere dignatus es, benedictione sancta tua bene ✠ dic ista parvula vestimenta, quæ pro gratiis tibi exsolvendis cum omni devotione sanctoq; voto, ac venerati-

one

one Beatissimæ Virginis MARIÆ, & S. P. Francisci, infans iste super se suscepturus est: infunde in eum quæsumus tuam sanctam bene ✠ dictionem, ut cum primùm induerit hoc Religionis simile vestimentum, intercedente B.P. Francisco, descendat super eum gratia tua, & protegat illum ab omni malo mentis & corporis. Qui vivis &c.

Deinde aspergantur aquâ benedictâ vestimenta, & illa adoleantur incenso. Cùm verò exuit eum suis vestibus, dicas:

Psalmus.

ERipe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum salva me.

Gloria Patri &c.

Posteà induat eum habitu & Capucio, (si verò sit puella, loco Capucii ei detur Scapulare & Velum,) dicens:

Immittat in te Dominus sanctum Religionis amorem, sanctoque fervore succendaris, & ardeas cœlestium bonorum desiderio.

Psalmus 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc, & usq; in seculum.

A Solis

A Solis ortu uſque ad occaſum: laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: & ſuper cœlos gloria ejus.

Quis ſicut Dominus Deus noſter? qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cœlo & in terra.

Suſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum Principibus: cum Principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri &c.

Poſteà cingat eum dicendo:

Præcingat te Dominus cingulo juſtitiæ, ut immaculatus conſerves omnia mandata ſua.

Pſalmus 150.

LAudate Dominum in ſanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cythara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri &c.

Deinde ei det candelam accensam, & dicat:

℣. *Domine exaudi orationem* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Jesu Christe, lux vera de vero lumine, quæsumus clementiam tuam, ut per intercessionem Beatissimi Patris Francisci mentem parvuli hujus illumines, ut cùm ad annos discretionis pervenerit, sancto tibi animo corporeq; deserviat. Qui vivis &c.

Posteà benedicat puerum, offerendo eum super Altare, dicendo:

Confirma Deus in parvulo isto, quod in eo operari fecisti à templo sancto tuo, deducat eum Spiritus tuus bonus in terram rectam, & benedictio ✠ tua sit super eum semper. Amen.

Deinde reddat illum parentibus, & conversus ad circumstantes dicat:

Banedicat vos Divina Majestas ✠ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Ritus exuendi eosdem pueros ex Voto indutos.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

 ℣. *Domi-*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, à quo descendit omne bonum & omne donum, tibi gratias referimus & expleta vota reddimus; suscipe vota nostra, cum gratiarum actionibus, & intercedente Beata MARIA Virgine, Sanctoq; Patre Francisco, huic parvulo de cætero præsta sanitatem mentis & corporis, ut te Creatorem recta fide colat, in te Redemptore spem suam confirmet, teq; summum bonum super omnia diligat, atq; sanctis mandatis tuis semper obediat. Per Dominum nostrum &c.

Deinde habitum exuendo dicat:

Reddite vota vestra Deo cum actibus suis.

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri &c.

Deinde deponat habitum super Altare, & dicat:

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Ore-

Oremus.

Suſcipe Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, vota preceſq; ſupplicum, & per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, Sanctique Patris noſtri Franciſci, præſta nobis, ita beneficia tua cognoſcere, ut in gratiarum ſemper actione maneamus. Per Dominum noſtrum &c.

Poſteà benedicat aſſiſtentes dicens:

Benedicat vos Divina Majeſtas ✠, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Ritus induendi Fratres Tertiarios Ordinis S. Franciſci, domi, vel in clauſtris cum Fratribus viventes.

Superior Regularis Ordinis S. Franciſci, vel alius delegatus ejus loco benedicat primò veſtes, (quæ in colore debent eſſe conformes habitui Franciſcano, abſque tamen Capucio) ut ſequitur.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, ſeminator & inſpirator religioſi propoſiti, quiq; indumentum noſtræ carnis pro ſalute generis humani miſericorditer ſuſcipere voluiſti, & in præſepio vilibus pannis involvi non horruiſti, reſpice propitius ad preces humilitatis noſtræ, & has religioſas veſtes, quas hic famulus tuus N. propter amorem tuum, abjecto habitu

 ſæcu-

ſæculari, proponit induere, benedicere tua pietate digneris, & concede propitius, ut ſicut exterius his religioſis induitur veſtimentis, intus renovetur affectibus, & per interceſſionem B. Patris Franciſci induere eum digneris. Qui vivis &c.

Oremus.

Deus, qui ut ſervum abſolveres, Filium tuum funibus ligari voluiſti, bene ✠ dic quæſumus funem iſtum, & præſta, ut famulus tuus N. qui eo velut ligamine pœnitentiali cingetur, vinculorum ejusdem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti memor exiſtat, & in Ordine, quem aſſumit, ſalubriter perſeveret, & tuis cum effectu ſemper obſequiis ſe alligatum eſſe cognoſcat. Per eundem Chriſtum &c.

Hic habitus & chorda aſperguntur aquâ benedictâ, & induitur habitu benedicto à Prælato, & dicat ſuper eum.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Majeſtatem tuam Domine ſuppliciter exoramus; ut famulum tuum N cui de tua gratia præſumentes noſtræ Religionis veſtem impoſuimus, digneris inter Diſcipulos tuos virtute ex alto induere, juſtitiæ loricâ munire, & ſalutis protegere veſtimento, ut intercedente Beatiſſimo Patre noſtro Seraphico Con-

Confeſſore tuo Franciſco, ſub humilitatis veſte tibi perſeveranter deſerviens, ad ſtolam immortalitatis & gloriæ pervenire mereatur. Qui vivis & regnas in ſecula &c.

Hic cingitur a Prælato, & dicitur:

Oremus.

Deus, qui Beato Petro Apoſtolo tuo ſignificans, qua morte glorificaturus eſſet Deum, prædixiſti, per alium in ſenectute ipſum fore cingendum, famulum tuum N. quem cingulo noſtræ fraternitatis præcinximus, tua quæſumus charitate præcinge, tui nominis metu ſalutari conſtringe, & chordâ cor ejus regulari alliga diſciplinæ, ut tua ei opitulante gratia, ſolutus & liberatus à mundo, tuoq́; vinctus ſervitio, in Ordinis, quem aſſumit, obſervantia usq́; in finem jugiter perſeveret. Qui vivis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Tandem ſuper Fratrem indutum & præcinctum dicatur:

Oremus.

Deus, qui mira Crucis myſteria in tuo devotiſſimo Confeſſore Beato Franciſco multiformiter demonſtraſti: da famulo tuo N. ipſius ſemper exempla ſectari, & aſſidua ejusdem Crucis meditatione muniri. Per Chriſtum &c.

Ritus cingendi Chordigeros S. Francisci.

Primò benedicuntur Chordulæ modo sequenti:

℣. Adjutorium nostrum. ℟. Qui fecit cælum.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usque in seculum.
℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui ut servum solveres, Filium tuum funibus ligari voluisti, bene ✠ dic quæsumus chordam istam, & præsta, ut famulus tuus, qui eâ velut ligamine pœnitentiali cingetur, vinculorum ejusdem Filii tui Domini nostri Jesu Christi perpetuò memor existat, & in Confraternitate, in quam assumitur, salubriter perseverans, tuis cum effectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per Dominum nostrum &c.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui peccatoribus veniam & misericordiam quærentibus tuæ propitiationis indulgentiam tribuis: Oramus immensam clementiam tuam, ut hanc chordam bene✠dicere & sancti✠ficare digneris, ut qui eâ pro peccatis suis cinctus fuerit, & immensam pietatem tuam imploraverit,

verit, veniam & indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Cingendo Confratrem dicat:

Præcingat te Dominus cingulo puritatis & Confraternitatis nostræ, & extinguat in lumbis tuis humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiæ & castitatis. Per Christum &c. Pax tecum.

DE BENEDICTIONIBUS ET EXORCISMIS.

Benedictio Aquæ Solemnis.

Ex Sacerdotali, & Nucleo Benedictionum desumpta, & aliquantum abbreviata.

SCiendum, hanc Aquæ benedictionem non noviter excogitatam, sed olim consuetam, & à S. Chrysostomo Homil. de Baptismo Christi commendatam: ut inter alios meminit R. P. Gretserus, Soc. Jesu, libr. 2. Bened. c. 10. esseque miræ virtutis contra Diabolum, & omnes tam naturales quam innaturales infirmitates atque præstigia. Solet autem hæc benedictio in Austria, Helvetia aliisque locis fieri in Festo Epiphaniæ, & reservari Aqua per totum annum. Conveniens autem foret, ut fieret in Dominicis Quatuor Temporum, in quibus plebs curat salem benedici: vel alio quocunque die, saltem semel in anno

Sacerdos indutus Albâ, vel saltem superpellico & stolâ, stans ante alveum aquæ, dicit

Antiphon.

Vox Domini ſuper aquas Deus majeſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.

Pſalm. Afferte Domino filii Dei, &c. *ut ſuprà pag. 37.*

Quò finitò dicatur Antiphona:

Vox Domini ſuper aquas Deus majeſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.

Deinde dicat Litanias omnium SS. flexu genibus, & poſt verſ. Ut omnibus fidelibus, *ſurgens dicit.*

Ut hanc aquam bene ✠ dicere digneris.

Ut hanc aquam bene ✠ dicere & ſancti- ✠ ficare digneris.

Ut hanc aquam bene ✠ dicere, ſancti- ✠ ficare & conſe ✠ crare digneris.

Genuflexus perficit Litanias: quibus ſubjungit

Pater noſter &c.

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Salvos nos fac Domine Deus noſter.*

℟. *Et congrega nos de nationibus.*

℣. *Ut confiteamur nomini ſancto tuo.*

℟. *Et gloriemur in laude tua.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

Surgens ter ſufflat in Aquam, dicens:

Exſufflo te omnis legio Satanæ in nomine Patris. Exſufflo te in nomine Filii. Exſufflo te in nomine Spiritus Sancti.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Pa- ✠ tris,

✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti: ne communis sis ullo spiritui immundo, sed dabis honorem Deo viventi atq; regnanti, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & ubicunq; aspersa fueris, omnis spiritus immundus ab eo loco recedat. Adjuro te itaq; creatura aquæ in nomine Jesu Christi Nazareni, Filii Dei vivi, Regis & Judicis nostri, ut sis purgatio & sanctificatio hominum, quos Deus ad suam S. gloriam vocare dignatus est. Te ergo invoco Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc aquam exorcizare & bene ✠ dicere pro tua pietate digneris, ut omnis immundus spiritus in ea locum ultra non habeat; sed ubicunq; aspersa fuerit, Angelorum tuorum illuc descendat exercitus. Per Dominum &c.

Lectio libri Numeri.

In diebus illis converterunt filii Israël ad Moysen & Aaron, &c. *ut suprà pag.* 50.

Graduale.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israël. ℣. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: ℟. sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Alleluja, Allel. ℣. Vox Domini super aquas Deus majesta-

tis intonuit: ℟. Dominus ſuper aquas multas. Alleluja.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

✠ Sequentia S. Evangelii ſecundùm Joannem.

IN illo tempore: In noviſſimo die magno feſtivitatis ſtabat Jeſus, & clamabat dicens; Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Ex illa ergo turba cum audiſſent hos ſermones ejus, dicebant: Hic eſt verè Propheta. Alii autem dicebant: Hic eſt Chriſtus. ℟. *Laus tibi Chriſte.*

Exorciſmus Aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum ✠ verum, per Deum ✠ Sanctum, per Deum ✠ totius creaturæ; ut te efficacem exhibeas contra omnem morbum atq; inſidias inimici, diabolicasque poteſtates: ut ubicunque aſperſa fueris, ſit propitio Deo domus iſta defenſa, ſicut defenſæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum per aſperſionem ſanguinis agni. Exorcizo te in nomine illius, qui filios Iſraël per medium maris traduxit. Exortizo

orcizo te in nomine illius, qui verbo ſuo fontem manare præcepit. Exorcizo te in nomine illius, qui ſiccis pedibus ſuper te ambulavit. Exorcizo te demum in nomine illius, quem S. Joannes in te baptizavit: ut omnis ſpiritus erroris, & omnes phantaſiæ Dæmonum fugiant de illo loco, in quo aſperſa fueris. Per Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

Bene✠dic Domine hanc aquam bene✠dictione cœleſti, & aſſiſtat ſuper eam virtus Spiritus Sancti, ut ubicunque aſperſa fuerit, longè recedat virtus inimicorum, umbra phantaſmatum, incurſio turbinum, percusſio fulminum, læſio tonitruorum, calamitas tempeſtatum, omnisq; ſpiritus procellarum. Per temetipſum Deum omnipotentem, qui vivis & regnas &c.

Exorciſmus Salis.

Exorciza te creatura ſalis per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ Sanctum. Per Deum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ. Per Deum, qui per Apoſtolum Paulum dicere dignatus eſt: Sermo veſter

ster sit sale conditus. Ideoq; efficere sal ad expellendam inimicum, & evacuandam omnem vim & putredinem ejus: in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

Virtutis tuæ invictam fortitudinem deprecor Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, super hunc salem: cui non minimam gratiam conferre dignatus es, ut ex illo possint universa condiri, quæ hominibus adescam procreasti. Rogamus igitur te Domine per Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, ut salem istum bene✠dicere, sancti✠ficare & conse✠crare digneris, ut ex vultu Divinæ majestatis tuæ virtutum tuam contra omnes immundos spiritus accipiat. Expellat de tabernaculis famulorum famularumq; tuarum, quidquid pestiferum esse poterit. Exhibeat plenum salutis effectum omnibus, qui ex eo devotè sumpserint: & deterreat præstigia, phantasiasq; compescat, per signum S. Cru✠cis Filii tui Doimni nostri Jesu Christi, qui tecum vivit &c.

Oremus.

Intuere Domine Jesu Christe hanc creaturam salis, quam in usus humani generis tribuisti,

isti: & per signum S Cru✠cis tuæ tribue ei virtutem, ut ubicunq; aspersa fuerit aqua hoc sale commixta, ibi sit efficax ad evacuandem omnem inimici adversariam potestatem. Consumat & arefaciat noxia, nihilq; remaneat immundum aut pestiferum: sed ad invocationem nominis tui sint omnia nobis munda & bene✠dicta. Qui vivis &c.

Benedictio Salis.

Benedico te creatura salis in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, qui te ad tutelam humano generi procreavit, & populo suo per servos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hæc creatura salis in nomine S. Trinitatis efficiatur salus mentium & corporum, sitque perfecta medicina in visceribus fidelium tuorum. Per Christum &c.

Hîc ter mittat salem in aquam dicens:

Commixtio salis & aquæ pariter fiat in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ S. Et in virtute Domini nostri Jesu Christi, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Exorcismus super Salem & Aquam.

Exorcizo te creatura salis & aquæ in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ S. Exorcizo

orcizo te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ crucifixum, per Deum Spiritum ✠ S. Exorcizo te per eum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit dicens: Hæc dicit Dominus, sanabitur aqua ista, & non erit in ea mors neq; sterilitas Adjuro te per nomen illius, qui divina voce oris sui Apostolis suis locutus est, dicens: Vos estis sal terræ: habete in vobis sal, & pacem habete inter vos; ut omnes qui ex te sumpserint, sint sanctificati in animabus & corporibus suis, & ubicunq; aspersa fueris, præstes remissionem venialium peccatorum, & expellas insidias & tentationes dæmonum. Te autem conditor & restaurator omnium Elementorum deprecor, ut nominis tui invocata majestate gratiam supernaturalem hæc aqua accipiat, & per manus servorum tuorum aspersa valeat ad expellendas diabolicas artes, utq; omnis immundus spiritus aspersione hujus aquæ repulsus discedat, & omne phantasma, immunditia & putredo inimicorum longè refugiat, per virtutem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto &c.

Alius Exorcismus super utrumque.

Iterum exorcizo te creatura aquæ sale conspersa per Deum totius creaturæ, qui te

in principio ſeparavit ab arida, & in quatuor flumina dividere dignatus eſt: ut ubicunque aſperſa fueris, effugetur inimicus & omnis putredo ejus, ipſaque domus à Deo ſit defenſa per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Te igitur creatura aquæ adjuro per Deum vivum, qui te de fonte paradiſi manare, & in quatuor fluminibus exire juſſit, (*hîc effundat aquam in 4. partes*) & totam terram rigare præcepit. Adjuro te per eum, qui te in Cana Galilææ ſuâ potentiâ convertit in vinum, quiq; ſuper te ſuis ſanctis pedibus ambulavit. Adjuro te per eum, qui in te Naman Syrum per manum Eliſæi Prophetæ à ſua lepra mundavit, quique cæcum natum in te à ſua cæcitate liberavit. (*hîc tangat aquam manu faciens 3. cruces*) Aqua ✠ ſancta. Aqua ✠ benedicta. Aqua ✠ lavans ſordes & mundans peccata. (*hîc extrahat manum*) Adjuro te per Deum omnipotentem, ut te efficacem exhibeas, nec aliquam phantaſiam in te retineas: ſed efficiaris potens ad effugandum inimicum, & omnes ictus fulguris. Et ubicunq; aſperſa fueris, ſive in domo, ſive in cubiculis, ſive in navibus, ſive in puteis, ſive in agris, ſive in campis, ſive in vineis, ſive in arboribus, ſive ſuper pecora, ſive ſuper homines, ibi fias defenſio & remedium

ſalu-

salutare. Per nomen D. N. Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat.
Per omnia secula seculorum. ℞. *Amen.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℞. *Et cum Spiritu tuo.*
Sursum corda &c.
Gratias agamus Domino Deo nostro &c.
Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus virtuti subjecta sunt universa, cujusq; verbo creata sunt omnia. Tu Domine, qui per Angelum tuum fontem Agar ostendisti, & ex eo Ismaëlem sitientem potasti. Tu Domine, qui pueri tui Abraham in Mesopotamia preces exaudisti, & omnia desideria cordis ejus implevisti. Tu Domine, qui famulo tuo Moysi in deserto petram percutere, & ex ea aquam producere populumq; satiare jussisti.

Sequens vers. ter dicatur, & lignum Crucis benedictum (cujus benedictio proximè sequitur) ter in aquam mittatur.

Tu Domine, qui aquam amaram immisso ligno dulcorasti, & ligno sacræ Crucis tuæ omnia sanctificasti.

Tu Domine hanc aquam bene ✠ dicere sancti✠ficare & conse✠crare digneris, ut ubicunq; in nomine tuo fuerit aspersa, omnes jaculationes sævas inimici expellat. Rogamus etiam ac petimus, ut sicut ad domum

Ragu-

Raguëlis S. Angelum tuum Raphaëlem mittere dignatus es, ut Aſmodæum dæmonem alligaret: ſimile quoq; beneficium domibus noſtris donare digneris, ut ubicunque hæc unda reſperſa fuerit, malignus ſpiritus ibidem nec conſiſtendi nec commorandi habeat poteſtatem, per Chriſtum Dominum noſtrum: per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, cœli cœlorumque virtutes ac beata Seraphin ſociâ exultatione concelebrant, cum quibus & noſtras voces ut admitti jubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloriâ tuâ. Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini: Oſanna in excelſis.

Te igitur clementiſſime Pater, altiſſima ſalus & protector perpetuus, ſupplices rogamus ac petimus: ut ubicunq; hæc aqua reſperſa fuerit, ſit te donante cauſa ſalutis & bene ✠ dictionis. Habeat quoq; domus illa, in qua aſperſa fuerit, perpetuam gratiam, fidem rectam, ſpem firmam, charitatem perfectam, & gaudeum verum. Per Chriſtum &c.

Adjuratio Aquæ.

Iterum te alloquor aqua, quæ habes lucis ſimilitudinem. Tu ſub cœlo, tu ſuper cœlum.

lum. Tu ſub terra, tu ſuper terram. Sub te invoco nomen ſanctum atq; admirabile Dei omnipotentis, qui te ſuſpendit ſuper cœlos, congregavit in mare, miſcuit in terra. Qui te arcanis & velocibus ventis plure præcepit: ad uſum hominum lavacrum dedit, potumque ſitientibus miniſtravit. Super te in principio Spiritus Domini ferebatur, & etiam ad huc fertur. Adjuro ergo te creatura per ſeptiformem Spiritum Dei: adjuro te per novem Ordines Angelorum: adjuro te per vocem tonitrui tremendi: adjuro te per myſterium ligni, quo aqua tacta dulcis facta eſt: adjuro te per eum, qui te & omnia elementa creavit, ut expellas omnem umbram ſpirituum immundorum, omnes machinationes Diabolorum, ſive ex invocatione magicæ artis, ſive ſponte ſua creaturis Dei nocentium Quia imperat tibi Dominus Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, quòd mox ubi aſperſa fueris in nomine Dei Sabaoth, ſive in hominibus, ſive in pecoribus, ſive in quacunque creatura; ſive in potum data fueris homini aut pecori languenti, aut maligni ſpiritus infeſtatione percuſſo, mox expellas omne malignum, & conferas priſtinam ſanitatem. Sisq; ſancta & ſalutifera, & ignis ardens adverſus omnes inſidias tam inviſibili-

um quam viſibilium inimicorum. Fulgura quoq; & grandines per aſperſionem tuam diſſipentur, & omnia terribilia ſpectra profugentur. Per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus poteſtas neq; dici, neq; ſcribi, neq; cogitari poteſt. Qui vivit & regnat &c.

Verè ſanctus, verè benedictus, verè adorandus es Domine Deus noſter. Ab occultis noſtris munda nos, & ab alienis parce ſervis tuis; ut cum fiducia valeamus dicere orationem illam regalem, quam Dominus & Salvator noſter per Evangelium ſuum orate nos docuit dicens: Cum oratis, dicite: Pater noſter &c.

Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præſentibus & futuris. Libera nos à gladio, fame, peſte, tentatione & ab omnibus periculis. Per liberatorem noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum &c.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, exorcizentem, bene✠dicentem & conſe✠crantem me creaturas iſtas ſalis & aquæ exaudire digneris; ut in virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti ſint ſalus, ſanitas & purificatio omnibus hominibus, quibus aſperſæ & à quibus deguſtatæ

fuerint. Habeant potestatem effugandi immundos spiritus, dissipandi fulgura, avertendi grandines, & exterminandi omnes adversitates humanæ naturæ. Per Dominum nostrum &c.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Benedicamus Domino Deo nostro &c.

Benedicat vos, ô creatura salis & aquæ, omnipotens Deus, Pa✠ter, Fi✠lius, & Spiritus ✠ Sanctus,

Et ego Sacerdos Dei bene✠dico te, ô creatura aquæ, in virtute bene✠dictionis illius, quam tibi Christus dedit, dum in te à Joanne baptizatus fuit. Bene ✠ dico te in virtute privilegii illius, quo gloriosè decorata fuisti, quando à Christo in vinum conversa fuisti. Bene✠dico te in potentia virtutis illius, quam miraculosè suscepisti, dum in natatoria Siloë virtutem sanandi accepisti. Bene ✠ dico te in Sacramento mysterii illius, quod in te repræsentatum fuit, quando cum sacro sanguine Christi ex latere ejus profluxisti. Et demum puri✠fico, bene✠dico atque sancti✠fico te per pretiosam mortem D. N. Jesu Christi: per puritatem sacratissimæ V. Mariæ Matris ejus: per tolerantiam Apostolorum, per constantiam Martyrum, per perseverantiam Confessorum, per puritatem

Virginum, per merita omnium Electorum, per authoritatem omnium Sacerdotum, & per omnimodam bene✠dictionem, quæ data est in cœlo & in terra. Infundo quoque ex authoritate mihi collata, omnem ſpiritualem virtutem, quâ omni contagio reſiſtere, & quemcunq; oppreſſum ſanare poſſis. In nomine Pa✠tris &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

✠ Sequentia S. Evangelii ſecundùm Joannem.

IN illo tempore vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat. Et ego neſciebam eum: ſed ut manifeſtaretur in Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans. Et teſtimonium perhibuit Joannes dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto.

℟. Deo gratias.

Demum fit aspersio sicut in diebus Dominicis fieri solet cum Vers. Asperges me Domine &c. *& Oratione.*

Hac aqua asservetur, & in quacunque necessitate, sive spirituali sive corporali, tam hominum quàm pecorum, tam domorum quàm agrorum adhibeatur: quia est miræ virtutis & efficaciæ, ut docet experientia.

Benedictio Crucis seu Tabulæ, in qua crucifixus depictus est.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Bene✠dic Domine Jesu Christe hanc crucem tuam, per quam eripuisti mundum à potestate dæmonum, & superasti passione tua suggestorum peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. Qui cum Deo Patre &c.

Oremus.

Rogamus te Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut digneris bene✠dicere hoc lignum crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano. Sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, atq; solamen & tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Dn. nostrum &c.
Per omnia secula seculorum. ℟. *Amen.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*
Sursum corda &c.

Gratias agamus Domino Deo nostro, &c.
Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubiq; gratias agere.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus sanctum ac terribile nomen inter cæteras visibiles creaturas ligna quoq; fructifera laudare ac benedicere non cessant. Qui in figuram unigenitæ sapientiæ tuæ ligno vitæ à principio paradisum voluptatis ornasti, ut ejusdem fructus sacro mysterio protoparentes nostri generis mortem cavere, & vitam admoneres obtinere perpetuam. Quiq; nos vetitæ arboris attactu justæ morti addictos, ejusdem coæternæ tibi Sapientiæ Dei & Domini nostri Jesu Christi innoxiâ morte ad vitam misericorditer revocare dignatus es: te supplices exoramus, ut hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissime vexilli, quo pretioso Filii tui sanguine triumphasti, fidelium tuorum devotione compactum erectumq; est, cœlesti tua bene ✠ dictione sanctificare digneris, ut omnibus hîc genua flectentibus ac majestati tuæ supplicantibus, largior cordis compunctio & admissorum indulgentia concedatur, atq; intercedente ipsa victoriosissima unigeniti Filii tui passione, & tibi placita postulare, & citiùs valeant postulata percipere.

pere. Da quæsumus clementissime Pater, in quo vivimus, movemur & sumus, ut quoties triumphum divinæ humilitatis, quæ superbiam nostri generis dejecit, oculis intuemur, quotiesq; mente recolimus, & contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, & majorem tibi devotæ humilitatis gratiam consequamur. Quatenus in illo tremendo tuæ majestatis examine, cum paventibus elementis, cœlorumq; commotis virtutibus, signum istud glorificium redemptionis nostræ apparuerit in cœlo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis videre gaudia mereamur. Per eundem Dn. &c.

Oremus.

Deus, qui beatæ crucis patibulum, quod priùs erat scelestis ad pœnam, convertisti redemptis ad vitam: concede plebi tuæ ejus vallari præsidio, cujus est armata vexillo. Sit ei crux fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis adjuvamen, in hostes victoria, in cividate custodia, in campis protectio, in domo fultura; ut per eam pastor in futuro gregem conservet incolumen, quæ nobis agno vincente conversa est in salutem. Per eundem Dn. &c.

Oremus.

Sancti ✠ fica Domine Jesu Christe signaculum

culum iſtud paſſionis tuæ, ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus in te perpetuum efficiatur victoriæ vexillum. Qui cum Deo Patre &c.

Aſpergens Crucem dicat:

Sanctificetur lignum iſtud in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Et benedictio illius ligni, in quo membra ſancta Salvatoris ſuſpenſa ſunt, ſit in iſto ligno; ut orantes inclinanteſq; ſe propter Deum ante iſtam crucem inveniant corporis & animæ ſanitatem. Per eundem Dominum &c.

Aſpergit aquâ benedictâ, incenſat thure benedicto, & genuflexus ipſam Crucem adorat & oſculator; id quod & circumſtantes faciunt.

Benedictio Crucis Parvæ, quæ ad collum ſeu ad Roſarium appenditur.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens Deus, qui crucis ſignum pretioſo Filii tui ſanguine dedicaſti, quique per eandem crucem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti mundum redimere voluiſti, & per virtutem ejusdem venerabilis crucis humanum genus ab antiqui hoſtis chirographo liberaſti; te ſuppliciter exoramus, ut digneris hanc crucem paterna pietate bene✠dicere, cœleſtemq; ei virtutem & gratiam imper-

tiri; ut quicunq; eam in passionis & crucis Unigeniti tui signum ad tutelam corporis & animæ super se gestaverit, cœlestis gratiæ plenitudinem in ea & munimen valeat tuæ benedictionis accipere. Si quis verò infirmus aut moribundus eandem in manu sua tenuerit, aut super pectus suum impositam habuerit, ad eum non audeant appropinquare hostes maligni, nec ei tentationibus suis nocere, aut spectris suis pavorem immittere. Sed virtute hujus crucis benedictæ ab infestationibus dæmonum liberatus, Jesu Christo Filio tuo, Redemptori suo, laudes & gratiarum actiones persolvat Et quemadmodum virgam Aaron ad repellium perfidiam repellendam benedixisti, ita hoc signum crucis tuâ dexterâ bene ✠ dic, & contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defensionis impende: ut portantibus illam animæ pariter & corporis prosperitatem conferat salutarem, & spiritualia in eis dona multiplicet. Per eundem Christum &c.

Aspergens ipsam Crucem dicat;

Sanctificetur hoc signum crucis in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti: & benedictio illius ligni, in quo membra Salvatoris nostri suspensa sunt, sit in isto signo crucis, ut portantes eam propter Deum inveniant

niant corporis & animæ ſanitatem. Per Chriſtum &c.

Benedictio Olei,

Miræ virtutis contra quascunq; infirmitates & præſtigia Diaboli.

Sacerdos ſuperpelliceo & ſtolâ indutus, ſtans ante Altare, in quo eſt SS. Sacramentum, dicit à cornu Epiſtolæ.

Antiphona.

Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & oſculatus eſt eum.

Pſalm. Audite cœli quæ loquor, &c.

Qui habetur in Sabbaoth ad Laudes.

Lectio Libri Levitici c. 2.

ANima cum obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimilia erit ejus oblatio: fundetq; ſuper eam oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron Sacerdotes. Quorum unus tollet pugillum plenum ſimilæ & olei, ac totum thus: & ponet memoriale ſuper Altare, in odorem ſuaviſſimum Domino. Quod autem reliqvum fuerit de ſacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, ſanctum ſanctorum de oblationibus Domini. Cum autem obtulerit ſacrificium coctum in clinabo, de ſimilia: panes ſcilicet absq; fremento, conſperſos oleo, & lagana azyma oleo lita. Si oblatio tua fuerit de ſartagine, ſimilæ conſperſæ

ſperſæ oleo, & absq; fermento, divides ea minutatim, & fundas ſuper eam oleum. Sin autem de craticula fuerit ſacrificium, æquè ſimila oleo conſpergetur: quam offerens Domino trades manibus Sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tolle memoriale de ſacrificio, & adolebit ſuper Altare in odorem ſuavitatis Domino. ℟. *Deo gratias.*

Antiphona.

Inveni David ſervum meum: oleo ſancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non apponent nocere ei.

Et concidam à facie ejus inimicos ejus: & odientes eum in fugam convertam.

Et veritas mea & miſericordia mea cum ipſo: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Lectio Epiſtolæ B. Jacobi Apoſt.

INfirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra,

vestra, & orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.

℟. *Deo gratias.*

Vers. Parasti in conspectu meo mensam: adversus omnes qui tribulant me.

Impinguasti oleo caput meum: & calix meus inebrians quam præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

A cornu Evangelii dicitur:

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore suscipiens Jesus dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jarichio, & incidit in latrones: qui etiam despolia verunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eâdem viâ, & viso eo præteriit: similitei autem & Levivita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum: & videns eum misericordia motus est, & appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: & impo-

imponens eum in jumentum ſuum duxit in ſtabulum, & curam ejus egit. Et altareâ die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam ejus habe, & quodcunq; ſuper erogaveris, ego cum rediero reddam tibi.

℟. *Laus tibi Chriſte.*

Sacerdos oſculato libro vadit ad cornu Epiſtolæ.

Exorciſmus Olei.

Exorcizo te creatura olei, per Deum ✠ Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Per ſapientiſſimum Filium ejus Jeſum ✠ Chriſtum, per quem omnia in ſapientia ordinata ſunt. Per Spiritum ✠ Sanctum Paraclitum, per quem bonitatem & clementiam conſequimur. Per Mariam ✠ Virginem Draconis conculcatricem. Per SS. Angelos caſtra ſummi Regis. Per SS patriarchas & Prophetas, oracula S. Spiritus. Per SS. Apoſtolos & Evangeliſtas, judices venturi ſeculi. Per SS. Martyres & Confeſſores, charitate divina fervidos. Per SS. Monachos & Eremitas, mundi veros contemptores. Per SS Virgines & Viduas, Chriſti ſponſas & famulas. Igitur omnis virtus adverſarii, omnis exercitus Diaboli, & omne phantaſma Satanæ & miniſtrorum ejus, eradicare & effugare ab hac creatura olei; ut fiat omnibus, qui eo uſuri

ſuri

ſuri ſunt, ſalus mentis & corporis. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ S. Amen.

Et ego benedico te creatura olei, ✠ ut ab his, qui ſe ex te inunxerint, maleficia cuncta deſtruas, menti & corpori ſanitatem reſtituas, & efficiaris iis medicina efficax & ſalutaris. Nec ulla maleficia valeant in ipſis latitare; ſed virtute potentiſſimi nominis JESU ſe manifeſtent, obedientiamq; Divinitati ejuſtem præſtent, & exeant cum omnibus ſuis effectibus malignis. In nomine SS. Trinitatis, Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spir. ✠ S. Amen.

Oremus.

Emitte quæſumus Domine Spiritum S. tuum Paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olei, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis & corporis: ut tua ſancta bene✠dictione ſit omnibus hoc unguento cœleſtis medicinæ perunctis tutamen mentis & corporis: ad evacuandos omnes dolores omnesq; infirmitates, & ſi quod illis adverſantium ſpirituum adhæreat nocumentum, ad tactum & ſumptionem ſanctificati hujus olei abſcedat. Nullusque ſpiritualibus nequitiis ſit locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas, & nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ore-

Oremus.

Deus, qui per omnipotentiam tuam ex olivis liquorum ſuaviſſimum in uſum hominum emanare feciſti: quiq; eundem olei liquorum ſuper Reges fundi, & eo infirmos ungi ordinaſti. Deus qui tabernaculum & Altare cum omnibus vaſis ſuis, ut eſſent ſancta ſanctorum, conſecrari, atq; ſacrificia & primitias conſperſas oleo offerri præcepiſti. Deus, qui per famulum tuum Jacob titulum lapideum in Bethel unxiſti, quiq; per Samuelem David; per Moyſen Aaron; per Sadoch Salomonem; per Eliſæum Reges ſuper Syriam; & per teipſum unigenitum Filium tuum oleo S. unxiſti. Tu Domine, per hæc & alia mirabilia, quæ in ſancto oleo operatus es: hoc oleum bene✠dicere, ſanctifi✠care & conſe✠crare dignare: ut quicunq; ex eo ſumpſerit, vel ſe inunxerit, unctus ſit dolore pœnitentiæ, charitatis amplitudine, & perſeverantiâ in bono opere. Et ab eo eradicentur omnes facturæ, maleficia, incantationes, phantaſmata, tumores & dolores. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Et ego Sacerdos tuus, in nomine ſancto tuo, hoc oleum puri✠fico, bene✠dico & ſancti✠fico, atq; omnibus bene✠dictionibus tuis repleo. Et ſic purificatum, benedictum

ctum & sanctificatum creaturis tuis, à Diabolo vexatis, in usum & unctionem trado: ad extirpandum omne nefas, atq; ad destructionem omnium operum Satanæ & ministrorum ejus: ut quisquis hoc oleo usus fuerit, non possit in eo Diabolus habitare, sed sese manifestare & discedere cogatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per omnipotentiam tuam cuncta creasti, & per mirabilem bonitatem tuam creaturæ morbidæ oleum ordinasti: misericordiam & veritatem tuam super hoc oleum invocamus, ut benedicendo ✠ benedicas, sanctificando ✠ sanctifices, & consecrando ✠ consecres hoc oleum; ut quicunq; ex eo usi fuerint, bene✠dictionis tuæ opulentià corda & viscera eorum repleantur, & cuncta membra eorum per gratiam Spiritus Sancti à veneno antiqui serpentis liberentur. Per Christum &c.

Et ego Sacerdos tuus bene✠dico & sancti✠fico hoc oleum, ad restituendum obsessis liberationem, febricantibus valetudinem, & ægrotantibus sanitatem. Ad comprimendos tumores, ad leniendos dolores, ad reprimenda noxia, ad restituendum conjugii amorem, & ad expellendum malignum

adversarium Et quisquis eo usus fuerit, ab omni pariter languore sanetur, & à morsu serpentis antiqui nunquam lædatur. Fundat petra rivulos olei super vexatos à Diabolo, & ungat eos Deus oleo lætitiæ in habitaculo justorum. Multiplicet Deus bene✠dictiones suas super hoc oleum sanctificatum, & perficiat sanctificationem suam in salutem nostram sempiternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui mundum unxit oleo misericordiæ suæ, quiq; cum eo & Spiritu S. vivit &c.

Conspergatur aquâ benedictâ & thurificetur.

Sacerdos hoc oleo aliquem infirmum uncturus dicat:

Sicut Sanctus Sanctorum unctus fuit Spiritu Domini, sic Spiritus S sit super creatura Dei, quam ego ungo olei sacrati liquore. (*Hîc ungat infirmum in fronte.*) Et per istud sanctum oleum, & unctionem sanctam libero & absolvo te ab operibus malignis Satanæ, ac destruo omnia maleficia, incantationes, ligaturas, dolores & tumores arte diabolicâ factos: ut in omni parte olei sancti, & S. Crucis ✠ virtute diabolicos impetus contemnere valeas, atq; hoc medicamento sancto omnem dæmonis infestationem procul repellere possis, prout ego repello, annihilo & destruo, in nomine Pa✠tris, Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Hic

Hic ungat singula membra infecta vel sautia, quantum honestas permittit, & ad singulas unctiones dicat:

Per istam sanctam unctionem & benedictionem restituat te Dominus in statum pristinum, & conservet te in omni sanctificatione & virtute. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Peractâ omni unctione dicat:

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui es salus & medicina vera, è quo omnis sanctitas & prosperitas dimanat, qui instituisti, ut langvidos olei liquore in salutem ungamus, quæsumus clementiam tuam, ut diabolica vexatione laborantem sanare digneris: fiatq; hæc olei sancti perunctio morbi præsentis expulsio. Et sicut ego oleo sancto tuo creaturam tuam unxi, sic & tu divinâ medicinâ digneris eam ungere, & ab infirmitate sua liberare. Qui vivis & regnas &c.

Benedictio Statuæ seu Imaginis Beatæ MARIÆ Virginis.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum Angelo nuntiante carnem ſuſcipere voluiſti; præſta ſupplicibus tuis, ut qui verè eam genitricem Dei credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eundem Chriſtum &c.

Ant. Sub tuum præſidium &c.

Pſalm. Fundamenta ejus in montibus.

Ant. Ava Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Pſalm. Ad te levavi oculos meos.

Ant. O glorioſa Dei genitrix, virgo ſemper Maria, quæ Dominum omnium meruiſti portare, & Regem Angelorum ſola virgo lactare: noſtri quæſumus pia memorare, & pro nobis Jeſum Chriſtum deprecare, ut tuis fulti patrociniis ad cœleſtia regna mereamur pervenire.

Cantic. Magnificat.

Repetitur Ant. O glorioſa.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus clementiſſima diſpenſatione cuncta creantur ex nihilo, hanc imaginem in honorem piiſſimæ genitricis Filii tui D. N. Jeſu Chriſti venerabiliter adaptatam bene✠dicere & ſancti✠

care

care digneris: & præsta misericordissime Pater, per invocationem nominis tui, atque ejusdem unigeniti Filii tui D. N. Jesu Christi, quem pro salute generis humani, integritate Virginis Mariæ sarvatâ, incarnari voluisti, quatenus precibus ejusdem sacratissimæ Virginis, quicunq; eandem misericordiæ reginam. & gratiosissimam Dominam nostram coram hac effigie suppliciter honorare studuerint, de instantibus periculis eruantur, & in conspectu divinæ majestatis tuæ de commissis veniam impetrent, ac mereantur in præsenti gratiam, quam desiderant adipisci, & in futuro perpetua salvatione cum electis tuis valeant gratulari. Per eundem Dn. &c.

Aspergat, & incenset ipsam imaginem.

Benedictio Imaginum seu Statuarum Christi, aut aliorum Sanctorum.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut statuam *seu* imaginem hanc, in qua gloriosissima figura Filii tui D. N. Jesu Christi (*aut* Sancti *vel* Sanctæ N.) depicta *vel* sculpta est, bene✠dicere & sancti✠ficare digneris, ut quicunq; coram ipsa ad te adorandum & Sanctum N. invo-

candum ſeſe devotè inclinaverint, à cunctis periculis liberentur, & quidquid juſtè petierint, obtinere mereantur. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imaginis ſculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus ad imitandum incitemur: quæſumus ut hanc effigiem in memoriam & honorem unigeniti Filii tui D. N. Jeſu Chriſti (*ſeu* Beati N.) adaptatam bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris: & præſta, ut quicunq; coram illa Filium tuum & beatum N. ſuppliciter honorare ſtuduerit, illius precibus & obtentu à te gratiam in præſenti, & æternam gloriam obtineat in futuro. Per Dominum noſtrum &c.

Aſpergat aquâ benedictâ & thurificet.

Benedictio cujuslibet Indumenti Sacerdotalis.

Ex Pontif. Romano.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus omnipotens, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, te ſupplices rogamus, ut manibus noſtris

ſtris opem tuæ benedictionis infundas, & hunc Amictum, *vel* Albam, *vel* Cingulum, *vel* Manipulum, *vel* Stolam, *vel* Calulam, divino cultui præparatam virtute Sancti Spiritus bene✠dicere, sancti✠ficare & conſe ✠ crare digneris: & omnibus eo, *vel* ea, *vel* eis utentibus gratiam ſanctificationis ſacri myſterii tui benignus concede, ut in conſpectu tuo ſancti & immaculati atq; irreprehenſibiles appareant, & auxilium miſericordiæ tuæ acquirant. Per Dominum &c.

Aſpergat aquâ benedictâ.

Benedictio Purificatorii, Veli Calicis, & ornamentorum Eccleſiæ.

Ex Pontif. Romano.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟ *Qui fecit cœlum.*
℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Ominipotens & miſericors Deus, qui ab initio utilia & neceſſaria hominibus creaſti, templaq; manu hominum facta omni tuo ſancto dicari, tuæq; habitationis loca vocari voluiſti: quiq; per Moyſen famulum tuum veſtimenta Pontificialia & Sacerdotalia atque alia quæque diverſi generis ornamenta ad cultum & decorem tabernaculi & Altaris tui fieri decreviſti: exaudi propitius preces

noſtras, & hoc Purificatorium, *ſeu* Velum Calicis, *ſeu* diverſarum ſpecierum ornamenta in uſum hujus Eccleſiæ & Altaris tui, atq; ad honorem & gloriam tuam præparata, purificare, bene✠dicere, ſancti✠ficare & conſe✠crare per noſtræ humilitatis ſervitium digneris; ut divinis cultibus & ſacris myſteriis aptum exiſtat, *vel* apta exiſtant: hocque, *vel* hisque confectioni Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti Filii tui D. N. dignis pareatur famularibus. Qui tecum vivit &c.

Aſpergat aquâ benedictâ,

Benedictio Nummiſmatum S. Benedicti.

Quæ fieri debet à Sacerdote poſt miſſam, antequam paramenta deponat,

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus,

Deus omnipotens, bonarum virtutem dator, & omnium benedictionum largus infuſor, ſupplices te rogamus, ut manibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, & hæc Nummiſmata & characteres ad abigendos dæmones morbosq; pellendos, tuâ revelatione præparatos, virtute Sancti Spiritus bene✠dicere & omnibus eis utentibus ſanitatem mentis & corporis, & gratiam ſanctifica-

ctificationis concedere digneris: ut in conspectu tuo sancti & immaculati appareant, & insidias inimici per auxilium misericordiæ tuæ clementer effugiant. Per Dn. &c.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui pro redemptione mundi de virgine nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda osculo tradi, sicut agnus ad victimam duci, flagellis cædi, spinis coronari, clavis perforari, in cruce levari, inter latrones reputari, felle & aceto potari, ab hominibus blasphemari, lanceâ vulnerari, & tandem in cruce mori voluisti. Per has sacratissimas pœnas & passiones tuas te suppliciter exoramus, ut ab omni loco, domo & homine, quo hæc nummismata deportata fuerint, & quicunq; per literas & characteres hos nomen sanctum tuum invocaverint, expellas omnes fraudes, pestem & insidias Diaboli. Et eundem locum, omnesq; habitatores ejus, & omnes, quicunq; signati fuerint hoc signo sanctificationis, ad pristinam sanitatem perducere digneris, fracto vinculo cujuscunq; gentis malignæ. Qui vivis & regnas &c.

Exorcismus contra Diabolum.

Maledicti & excommunicati dæmones, in

virtute verborum iſtorum, Meſſias, Emmanuel, Sabaoth, Adonai, Athanatos, Iſchyros & Tetragrammaton vos conſtringimus, privamus & expellimus ab omni loco & domo, ubi hæc nummiſmata fuerint. Et præcipimus vobis, ut non habeatis poteſtatem per peſtem nocere corporibus habitantium in eis. Ite maledicti in ſtagnum ignis: ite ad loca vobis deputata, & nunquam huc accedere audeatis. Imperat enim vobis Deus ✠ Pater. Imperat vobis Deus ✠ Filius. Imperat vobis Deus Spiritus ✠ Sanctus. Diſcedite ergo maledicti dæmones in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. Amen.

Aſpergat aquâ benedictâ.

Benedictio Medaliorum ſeu Nummiſmatum.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

omnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines & effigies ſculpi & formari non reprobas; ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus & ſanctitatem ad imitandam incitemur: quæ-

quæſumus clementiam tuam, ut Nummiſmata hæc in honorem & memoriam unigeniti Filii tui D. N. Jeſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, matris ejusdem D. N. Jeſu Chriſti, atq; diverſorum Sanctorum tuorum fuſa ſeu facta, purifi ✠ care, bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris: & præſta, ut quicunque eadem ad honorem tuum reverenter & devotè ſecum portaverit, atque coram illis, aut uno ex his unigenitum Filium tuum, aut Beatiſſimam Matrem ejus, aut aliquem ex Sanctis tuis ſuppliciter colere & honorare ſtuduerit, illius meritis & obtentu à te gratiam in præſenti, & æternam gloriam obtineat in futurum. Per eundem Chriſtum &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, largitor bonorum omnium atq; ſalus & vita animarum noſtrarum, te ſuppliciter exoramus ac petimus, ut hæc Nummiſmata *ſeu* Agnos Dei, quibus D. N. Jeſu Chriſti effigies, ſeu ejusdem Redemptoris noſtri in cruce pendentis ſignum, ſeu imago Virginis Deiparæ, aut Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum & Virginum tuarum figura impreſſa eſt, bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris: ut qui unum aut plura ex his ſecum devotè geſtaverit, aut domi ſuæ reve-

renter

renter aſſervaverit, per merita Sanctorum tuorum, quorum effigies in his expreſſæ ſunt, ab omnibus Diaboli inſidiis omnique morbo contagioſo præſervetur, atq; corporis & animæ ſanitatem continuam conſequatur. Per eundem &c.

Oremus.

Benedic ✠ Domine Nummiſmata hæc, ut ſint ſalutare remedium & devotionis augmentum omnibus ea devotè venerantibus. Et præſta per invocationem tui S. nominis & Sanctorum tuorum, quorum effigies hæc præ ſe ferunt, ut quisquis eadem ſecum portaverit, aut domi ſuæ aſſervaverit, bene✠dictionem & defenſionem tuam accipiat, atq; contra omnes morbos atq; univerſas tentationes Diaboli tutamen penes ſe habeat. Unde ego Sacerdos tuus in nomine tuo, & in nomine Sanctorum tuorum hæc Nummiſmata puri✠fico, ſancti✠fico, & bene✠dico, ut ſint defenſio creaturis tuis, & ignis ardens dæmonum, atq; deſtructio omnium maleficiorum, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

Bene-

Benedictio Evangeliorum S. Joann.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, te suppliciter deprecamur, ut bene✠dicere & sancti ✠ ficare digneris hæc Sancta Evangelia, in tui nominis honore per dilectum tuum Apostolum Joannem Evangelistam, dictante Spiritu Sancto, conscripta. Ut meritis sacratissimæ in carnationis tuæ, & intercessione ejusdem Beatissimi Evangelistæ tui, quicunque eis usus fuerit, vel cum reverantia super se portaverit, salutem animæ & corporis à te recipiat, & à visibilium atque invisibilium inimicorum insultibus præservari mereatur. Qui vivis & regnas &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super hæc Evangelia, & maneat semper.

Aspergantur aquâ benedictâ & incensentur.

Benedictio Catenulæ in honorem B. M. V. deportandæ

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Ore-

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vincula peccatorum nostrorum disrumpis, ut libertate filiorum gaudere valeamus: Quiq; ad vincula salutis hominem advocas dicens: Injice pedem tuum in compedes illius, & collum tuum in torques illius, & ne acedieris vinculis ejus; Hoc vinculum seu catenulam, quod insignum perpetuæ servitutis ad honorem B M. V. servus (ancilla) ejus deferre intendit, bene✠dicere & sancti✠ficare digneris. Et concete ei sic devotè illud gestare, ut vivendo candore castitatis illustretur, ac moriendo à vinculis peccatorum absolutus, intercessione ejusdem sacratissimæ V. Mariæ tecum & cum illa in regno gloriæ sine fine gaudere valeat. Per Dominum &c.

℣. Benedictio Dei omnipotentis *&c. ut pag. antecedenti, matatis tamen mutandis.*

Aspergatur aquâ benedictâ.

Benedictio Chordæ Fraternitatis S. Francisci, à Sixto V. instituta.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc & usque in seculum.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Ore-

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui funibus in tua paſſione ligari voluiſti, & B. Petrum Apoſtolum tuum à vinculis abſolutum illæſum abire feciſti; per interceſſionem almi Confeſſoris & Vexillarii tui B Franciſci (qui non ſolùm pro cingulo chordâ ſe cinxit, ut in cunctis te Salvatorem noſtrum imitaretur; ſed etiam nobis filiis ſuis ad ſui imitationem in chorda ſignum humilitatis & devotionis pro hæreditate reliquit) ſupphciter deprecamur, ut hanc chordam, quâ creatura tua ſe cingi elegit, bene✠dicere, & unà cum famulo tuo, qui (famula tua, quæ) eâ cingetur, ſancti✠ficare digneris. Et quia ob pretioſa ſtigmata tua, quibus corpus Seraphici Patris N. Franciſci decoraſti, ad Archi-confraternitatem, ſub titulo Chordæ S. Franciſci à ſummo Pontifice Sixto V. erectam, aſſcriptus (aſſcripta) eſt, ut tibi totâ cordis humilitate dignum famulatum præſtet: da ei quæſumus Spiritum Sanctum tuum, qui eum in hoc propoſito bono conſervet, fide & operibus augeat, omnium virtutum incrementa præbeat, dona ſua in eo conſervet, & tandem ad æternam gloriam perducat. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate ejusdem Spiritus &c.

Aſper-

Aspergat Chordam aquâ benedictâ. Et si is, pro quo Chorda benedicitur, præsens sit, cingendo eum dicat:

Præcingat te Dominus hâc chordâ humilitatis & puritatis, & extinguat in lumbis tuis humorem libidinis & superbiæ, ut maneat in te virtus continentiæ, castitatis & humilitatis, & Deo semper in omnibus obedias. Amen.

Benedictio super præcinctum.

Benedictio beatissimæ Trinitatis, Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super te. Et sicut corpus tuum hâc chordâ circumdamus, ita Spiritus S. animam tuam fide Jesu Christi & bonis operibus decoret, ut Dei gratiam & vitam æternam percipias. Per eundem Christum &c.

Benedictio Chartæ, pro scribendis rebus sacris, à collo gerendis, ad fugandum Diabolum & maleficia.

℣. Adjutorium nostrum. ℟. Qui fecit cœlum.

Exorcizo te charta, quæ in usum humani generis ad referandum etiam magnalia de lege Domini digna visa es, & per divinam voluntatem in te descriptio conjugii inter Tobiam & Saram facta est, dicente Scriptura: Et acceptâ chartâ fecerunt conscriptionem conjugii: in quo etiam, opere Angelico, Diabo-

Diabolus extitit victus. Exorcizo te per Dominum Deum universi, Pa✠trem, & Fi✠lium, & Spiritum ✠ Sanctum: qui extendit cœlum sicut pellem, in qua cœlestibus splendoribus quasi characteribus scribens cœlos facit suam gloriam enarrare; ut bene✠dicaris & sancti✠ficeris ad omne opus Diaboli destruendum, & quicunque te sacris verbis respersam, vel sacram rem concludentem super se portaverit, vel in domo sua affixerit, ab omni infestatione Satanæ liberetur. Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Oremus.

Domine potens in prælio, Deus ultionum, Patrum nostrorum, qui per Moysen & Prophetas, antiquorum voluminum Scriptores, tuæ bonitatis mysteria divinitus revelasti, & per SS. Apostolos & Evangelistas tuos Filii tui Testamentum scribi voluisti. Bene✠dicere & sancti✠ficare digneris hanc chartam, ut quicunq; vel sacris scriptam vel sacra concludentem super se dignè portaverit, misericordiam tuam sibi sentiat advenire, & ab ipso omnes Satanicæ oppressiones & maleficorum turbines evanescant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur tenuiter aquâ benedictâ.

Benedictiones certis anni temporibus faciendæ.

Benedictio Candelarum in Festo S. Blasiii, contra morbum gutturis.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens & mitissime Deus, qui omnium mundi rerum diversitates solo verbo creasti, & ad hominum reformationem illud idem verbum, per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti: qui magnus es & immensus, terribiles atq; laudabilis, & faciens mirabilia: pro cujus fidei defensione gloriosus Martyr & Pontifex Blasius diversorum tormentorum genera non pavescens martyrii palmam feliciter est adeptus. Cui inter cæteras gratias hanc prærogativam contulisti, ut quoscunq; gutturis morbos tuâ virtute curaret: majestatem tuam suppliciter exoramus, ut non intuitu nostri reatus, sed ejus placatus meritis & precibus, hanc creaturam ceræ bene✠dicere & sancti✠ficare tuâ venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo, ut omnes, quorum colla per eam ex bona

bona fide tacta fuerint, à quocunq; gutturis morbo ipsius passionis meritis liberentur, & in Ecclesia sancta tua sani & hilares tibi gratiarum referant actiones, & laudent nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in secula. Per eundem Dominum &c.

Aspergat eos aquâ benedictâ, & iisdem decussatim junctis tangens singulorum colla dicat:

Per intercessionem S. Blasii Episcopi & Martyris præservet te Dominus â malo gutturis in nomine Patris &c.

Benedictio Panis & Schedularum in Festo S. Agathæ.

Mos est valde pius & utilis in pluribus locis, ut in Festo S. Agathæ benedicatur panis & charta seu scheda contra pericula ignium; & quidem panis asservatur, & tempore necessitatis in incendium seu flammam injicitur. Schedæ verò scriptæ affiguntur supra vestibula conclavium, pro efficaci remedio contra incendia. Ubi ergo mos ille nondum introductus est, introducatur, & annuè promulgetur.

Benedictio Panis contra pericula ignium.

Psalm. Deus misereatur &c.

Kyrie eleyson. Christe el. Kyrie el.

Pater noster &c.

℣. *Et ne nos inducas.* ℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc & usq; in secula.*

℣. *Ora pro nobis B. Agatha.*
℟. *Ut digni efficiamur præservari à periculis ignium.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es panis vivus, qui de cœlo descendisti, bene ✠ dic & sancti✠fica hos panes, in honorem B. Agathæ Virg. & Martyris huc deportatos: & concede per intercessionem ejusdem Virg. & Martyris tuæ, ut ubicunq; contra ignem comburentem missi vel positi fuerint, ibidem illicò ignis evanescat & penitus extinguatur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

Oremus.

Domine Jesu Christe, in nomine tuo, & in honorem S. Agathæ Virginis & Martyris tuæ, bene✠dico & sancti✠fico hos panes, & virtutem tui sanctissimi nominis in ipsos infundo, ut sint contra omnia pericula ignium & incendiorum, sive naturaliter, sive innaturaliter exortorum. Teq; in nomine S. Ecclesiæ tuæ suppliciter exoro, ut propter martirium S. Agathæ tantam virtutem & efficaciam hisce benedictis panibus infundas, ut quandocunq; bona fide in nomine tuo, & in nomine ejusdem S. Agathæ, in flammam missi

missi fuerint, per omnipotentiam tuam flammam illam devorantem dissipent, extinguant & annihilent. Qui vivis &c.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui hunc diem beatissimæ Agathæ martyrio consecrasti, ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus ac petimus, ut hos panes, quos plebs fidelis tibi devotè ad sanctificandum attulit, tua pietate bene ✠ dicere & sancti- ✠ ficare atq; per virtutem tuæ deficæ bene- ✠ dictionis tantam virtutem eis conferre digneris, ut omnem noxiam flammam extinguere, & fidelem populum tuum meritis & intercessione B. Agathæ ab infortuniis incendiorum eripere valeant. Per Dn. &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, atq; intercessio S. Agathæ Virginis & Martyris descendat & maneat super hos penes, & super omnes ex eis gustantes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ & incensentur.

Benedictio Schedularum.

Priùs scribantur super parvas Schedulas sequentia verba:

Mentem sanctam ✠ spontaneam ✠ honorem Deo ✠ & patrie liberationem.

Ignis à læsura, protege nos Agatha pia.

Quæ Schedæ si ſcripta benedicantur hoc modo:

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc & usq; in ſecula.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui meritis B. Agathæ Virginis & Martyris tuæ, apparitione Angelicà, tabulam marmoream hoc verſiculo inſcriptam: (Mentem ſanctam ſpontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem) ad caput ejusdem V. & M. tuæ poſuiſti, quam populus paganus contra irrumpentem ignem adhibuit, eumq; fugavit & illæſus permanſit: dignare per tuam clementiam & gratiam bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare has eodem verſiculo inſignitas Schedulas, & concede propitius, ut populus tuus fidelis precibus & interceſſione ejusdem Virginis & Martyris tuæ Agathæ ſugare poſſit & fugere nocumentum omne & periculum, non ſolùm ignis temporalis, ſed etiam ignis æternalis. Et in quocunq; loco affixæ fuerint hæ benedictæ & ſigno S. Crucis ✠ tuæ inſignitæ Schedulæ eundem ab omni incendio præſervent; ubi vero in noxiam flammam injectæ fuerint, ibidem per altiſſi-

mam potentiam tuam, & per merita Sanctissimæ Agathæ Sponsæ tuæ, flammam omnem dissipent, noxiumq; incendium prorsus disperdant. Per Dominum nostrum &c.

Antiph Paganorum multitudo fugiens ad sepulchrum Virginis, tulerunt velum ejus contra ignem: ut comprobaret Dominus, quòd à periculis incendii meritis B. Agathæ Martyris suæ eos liberaret.

℣. *Ora pro nobis B. Agatha.*

℟. *Ut digni efficiamur præservari à periculis ignium.*

Oremus.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius, ut qui B. Agathæ Virginis & Martyris tuæ natalitia colimus, ejus meritis & præcibus á periculis ignium & à gehennæ incendiis liberemur. Per Dominum nostrum &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, & intercessio B. Agathæ V. & M. descendat super has Schedulas, & maneat semper. Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ & incensentur.

Hæ Schedulæ super liminaria affigantur, & tempore incendi alligata lapidi bona fidei in ignem projiciantur,

Benedictio Panis, ſeu Mandatorum, Feriâ V. in Cæna Domini.

Cujus uſus eſt in diverſis Diæceſibus.

Pſalm. Dominus regit me &c. *ut ſuprà pag.* 150. *ſine Gloria Fer. V. ad* 5.

Lectio Libri Levitici c. 23.

IN diebus illis dixit Dominus ad Moyſen: Menſe primo, quarta decima die menſis ad veſperam phaſe Domini eſt: & quinta decima die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt. Septem diebus azyma comedetis; dies primus erit vobis celeberrimus ſanctusque: omne opus ſervile non facietis in eo; ſed offeretis ſacrificium in igne Domino ſeptem diebus. Dies autem ſeptimus erit celebrior & ſanctior, nullumq; opus ſervile facietis in eo. Et libamenta offerentur in eo duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo in incenſum Domini odoremq; ſuaviſſimum. Panem & polentam & pultes non comedetis ex ſegete, usq; ad diem, quâ offeretis ex eo Deo veſtro. ℞. *Deo gratias.*

Verſ. Dixerunt: Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?

Nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?

Et mandavit nubibus deſuper: & januas cœli aperuit.

Et

Et pluit illis manna ad manducandum: & panem cæli dedit eis.

Panem Angelorum manducavit homo: cibaria misit illis in abundantia.

Et manducaverunt & saturati sunt nimis: desiderium eorum attulit eis.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore, cum facta esset hora, discubuit Jesus, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

℟. Laus tibi Christe.

Exorcismus Panis.

Exorcizo te creatura panis per eum, qui benedixit quinq; panes in deserto, & dedit manna Patribus nostris in eremo omne delectamentum in se habens, & omnem saporem suavitati; ut sis fortitudo, & sanitas, & purificatio omnibus ex te sumentibus, ad effugandos omnes spiritus immundos, omnemq; nefariam vim Diaboli. Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui hodierna die panem non solùm benedixisti, sed etiam in verum tuum corpus convertisti: hos panes, quos famuli tui in memoriam sacratissimæ cænæ tuæ benedicendos attulerunt, tuâ omnipotentiâ bene✠dicere & sancti✠ficare, atq; eis tantam virtutem infundere digneris, ut quicunq; ex eis cum devotione sumpserint, corporis & animæ sanitatem percipiant, à tentationibus Diaboli liberentur, atque in bono tua virtute stabiliantur. Qui vivis & regnas &c.

Oremus.

Domine Jesu Christe, panis Angelorum, panis vitæ æternæ, bene✠dicere dignare pa-

nes iſtos, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto: ut omnes exinde guſtantes corporis & animæ percipiant ſanitatem. Qui vivis.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere digneris hos panes tua ſancta ſpirituali bene✠dictione, ut ſint omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamen. Per D. N. Jeſum Chriſtum Filium tuum, panem vivum, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam & ſalutem mundo, & tecum vivit & regnat &c.

Aſpergat aquâ benedictâ & incenſet.

Benedictio Herbarum comeſtibilium, primo die Maji, vel alio tempore.

℣. Adjutorium noſtrum. ℟. Qui fecit cœlum.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui dixiſti: Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum: dignare has herbas, quas ipſemet creaſti, & in uſum hominum è terra germinare feciſti, ore tuo proprio & dexterâ tuâ ſanctâ bene✠dicere, & omnibus inde ſumendibus ad cor-

corporis & animæ medelam utiles efficere. Propter nomen ſanctum tuum, magnum & glorificatum in cœlo & in terra, imple dexteram tuam larga benedictione, & effunde eam ſuper has diverſi generis herbas. Quas & ego Sacerdos tuus in nomine ſancto tuo, & ad gloriam laudis tuæ exorcizo, bene- ✠ dico & ſancti✠fico, ut quicunq; de iis ſumpſerit, vel ſuper iis biberit, vel ex his fumigatus fuerit, vel in domo ſua collocaverit, per omnipotentiam tuam & glorioſam reſurrectionem & aſcenſionem Filii tui D. N. Jeſu Chriſti, elongetur ab eo omne malum, omne periculum, omne phantaſma, & omne opus Diaboli. Idcirco per te Deum omnipotentem, qui das herbam ſervituti hominum, has creaturas herbarum virtute ordinis Sacerdotalis bene✠dico & ſancti✠fico, ad fugandos dæmones, ad deſtruendum omne maleficium, ad diſſipandam omnem tempeſtatem, ad avertendum omne tonitru, & ad annihilandum omne opus nefarium Satanæ à corporibus hominum. Et quocunq; hæ herbæ deportatæ, ſive à quocunq; ſumptæ fuerint, ibi diſpereat omnis fraus inimici: & ibidem per virtutem nominis Jeſu, atq; Beatæ Mariæ V. omniumq; Sanctorum, quorum nomina ſuper has herbas invoco, ſit omnis bene✠di-

ctio

ctio divina, omnisq; desiderata sanitas atq; prosperitas: In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ.

Benedictio Vini in solemnitatibus Nuptiarum.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Initium S. Evangelii secundùm Joannem.

In principio erat Verbum &c. *ut suprà pag. 119.*

Oremus.

Per istos sermones S. Evangelii, & per merita S. Joannis Apostoli & Evangelistæ quæsumus omnipotens Deus, bene✠dicere & sancti✠ficare digneris hanc creaturam vini dexterà tuâ, & præsta, ut omnes in te credentes, de isto potu bibentes, à te protegantur & benedicantur. Et sicut B. Joannes de calice venenum bibens non est læsus; ita isti homines in amore tuo & S. Joannes de potu isto bibentes, ab omni ægritudine corporis & animæ absolvantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æter-

ne Deus, bonorum omnium dator & conservator, qui inter reliquas creaturas tuas vinum in hominum ſuſtentationem & lætitiam ex fructu uvarum prodire juſſiſti: quiq; per unigenitum Filium tuum D. N. Jeſum Chriſtum in nuptiis in Cana Galilææ aquam in vinum mirabiliter permutaſti, & Sacramentum pretioſiſſimi ſanguinis ejusdem Filii tui in vini materia ſanctificare feciſti: te ſupplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam vini bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris, ut hic famulus & hæc famula tua ex eo guſtantes corporis & animæ recipiant ſoſpitatem, & in mutuo amore te largiente perſeverantes te omnium gratiarum largitorem ſine fine collaudent. Per Dn. noſtrum &c.

Deinde dicat:

Benedictio Dei Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper hoc vinum, & maneat ſemper. Amen.

Aſpergat, & det eis bibere dicens:

Bibite & creſcite in amore Dei & S. Joannis: In nomine Patris &c.

Benedictiones ſuper infirmum.

Sacerdos ſtolâ indutus devotè pronuntiet ſequentes Benedictiones ſuper infirmum: maximè quando jam incipit agonizare: quia repellunt Diabolum, & refovent afflictam animam.

Poſſunt etiam hæ Benedictiones dici ſuper maleficiatos aut quoscunque debiles, Imò etiam ſuper ſanos, ſi petierint benedici.

Qui Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, nascens ex Maria Virgine: illo per viscera misericordiæ suæ, in quibus visitavit nos oriens ex alto: & per merita atque intercessionem ejusdem Beatissimæ Virginis Mariæ matris suæ, nec non & per gloriosa merita Sanctorum Apostolorum Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque Sanctorum, quorum nomina & intercessionem super te in voco. Ille inquam per efficaciam sacratissimæ bene ✠ dictionis hujus dignetur te liberare ab omni malo, confortare in omni bono, & per felicem mortem perducere ad vitam æternam. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ in modum crucis.

Benedicat te Deus Pater, ✠ qui te creavit in carne. Benedicat te Deus Filius, ✠ qui te redemit in cruce. Benedicat te Deus Spiritus S. ✠ qui te sanctificavit in Baptismo. Benedicat te sancta & individua Trinitas, ✠ cum omni sua efficacia. Benedicat te Beatissima virgo Maria, ✠ benedictione sua materna. Benedicant te omnes Sancti & Sanctæ Dei, ✠ benedictione cœlesti & efficacissima. Et ego Sacerdos Dei bene ✠ dico te in nomine sanctæ Matris Ecclesiæ, jexta potestatem ab ea mihi traditam. Atque hæ benedictiones sint & permaneant in corpore tuo, ✠ & in

corde

corde tuo, ✠ & in anima tua, ✠ & in ſpiritu ✠ tuo, & in morte ✠ tua. Ne accedere ad te audeat maledictus ille ſpiritus: ſed virtute harum benedictionum fugiat procul à te, territus ſigno S. ✠ crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Iterum aſpergatur aquâ benedictâ.

Benedictio Dei Patris ✠ & omnium Angelorum ſit ſuper te. Benedictio Dei Filii ✠ & omnium Apoſtolorum ſit ſuper te. Benedictio Spiritus ✠ Sancti & omnium cœleſtium virtutum ſit ſuper te. Benedictio beatiſſimæ V. Mariæ & omnium Sanctorum ✠ ſit ſuper te. Benedictio omnium Sacerdotum ✠ atq; fidelium ſit ſuper te Quæ te ab hoſte maligno defendant, in omnibus tentationibus confortent, & ab omnibus corporis & animæ malis præſervent. Amen.

Sanet te Deus Pater, qui te creavit in carne. Sanet te Deus Filius, qui te redemit in cruce. Sanet te Spiritus S. qui te ſanctificavit in Baptiſmo. Sanet te Beatiſſima Trinitas virtute ſua deifica, & per omnium Sanctorum ſuorum merita. Ut corpore & animâ pariter ſanatus laudes divinam omnipotentiam, & enarres omnia ſua mirabilia. Amen.

Aſper-

Aspergat cum aquâ benedictâ. Et posteà imponat manum super caput ejus dicens:

Super ægros manus imponent, &c. *ut infrà pag. 2856.*

Modus exorcizandi Maleficiatos, & debiles quoscunque, sine naturali sive innaturali infirmitate laborent: maxime si à malignis spiritibus aut hominibus veneficio aut philtro putantur infecti.

Adsit vas aquæ solemniter benedictæ, panis & vinum benedicendum, crux & caudela ardens in Altari, aut super mensam linteo stratam. Quibus paratis Sacerdos superpelliceo, aut saltem stolâ violaceâ indutus coram cruce genuflexus, & infirmo retro illum genuflexo dicat sequentes Litanias.

Litaniæ de omnibus Sanctis.

KYrie eleyson. Christe el. Kyrie el.
Christe audi nos. Christe exaudi nos
Pater de cœlis Deus Miserere nobis. (ei.)
Fili redemptor mundi Deus. Miserere
Spiritus Sancte Deus. Miserere nobis.(ei.)
S. Trinitas unus Deus. Miserere.
S. Maria. Ora pro nobis.(eo.) (ea.)
S. Dei genitrix.Ora pro nobis. &c.
S. Virgo virginum. Ora pro nobis.
Omnes SS. Angeli & Archangeli. Orate.
Omnes SS. Throni & Dominationes.
Omnes SS. Principatus & Potestates.

Omnes ſanctæ virtutes cœlorum.
Omnes SS. Cherubim & Seraphim.
Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ.
Omnes SS. Apoſtoli & Evangeliſtæ.
Omnes SS. Martyres & Confeſſores.
Omnes SS. Pontifices & Doctores.
Omnes SS. Sacerdotes & Levitæ
Omnes SS. Monachi & Eremitæ.
Omnes SS. Virgines & Viduæ.
Omnes SS. Conjugatæ & Pœnitentes.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei.
Propitius eſto. Parce nobis (ei) Domine.
Propitius eſto. Exaudi nos Domine.
Ab omni malo. Libera nos (eum) Domine.
Ab ira tua. Libera nos (eum) Domine.
A morbo malo. Libera nos (eum) Domine.
Ab inſidiis Diaboli.
A vexatione Dæmonum.
A poteſtate inimicorum.
A malitia impiorum.
A veneficio malignantium.
Ab omnibus periculis.
A gravibus doloribus.
A ſubitanea morte.
Per virtutem Divinitatis tuæ.
Per potentiam humanitatis tuæ.
Per ſacra miracula tua.
Per poteſtatem ſuper omnia dæmonia.

Per majestatem gloriæ tuæ.
Per bonitatem pietatis tuæ.
Per multitudinem miserationum tuarum.
Per tremorem sacri Nominis tui.
Per efficaciam sacræ Crucis tuæ.
Per amaritudinem diræ mortis tuæ.
Per dolorem vulnerum tuorum.
Per effusionem sacri sanguinis tui.
Per gloriosam Resurrectionem tuam.
Per mirabilem Ascensionem tuam.
Per merita beatæ Matris tuæ.
Per intercessionem Sanctorum tuorum.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut ei (eis) parcas. Te rogamus.
Ut ei indulgeas. Te rogamus.
Ut eum liberes. Te rogamus.
Ut eum corpore & anima sanare digneris.
Ut eum à doloribus eripere digneris.
Ut eum á potestate malignantium liberare digneris.
Ut eum â malitia Dæmonum defendere digneris.
Ut eum à nocivis tentationibus præservare digneris.
Ut eum pristinæ sanitati restituere digneris.
Ut nos exaudire digneris.
Fili Dei &c. Agnus Dei, &c.
℣. *Salvum fac servum tuum. (ancillam tuam.)*
℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. Mitte ei auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo. (ea.)
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, qui secundùm multitudinem sapientiæ & misericordiæ tuæ quos diligis castigas, & flagellas omnem filium quem recipis: te suppliciter exoramus, ut huic famulo tuo N. qui membrorum debilitatem & dolorem patitur, gratiam conferre digneris, ut quidquid ab eo humana fragilitate peccatum est, ignoscere; & quidquid diabolica pravitate corruptum est, purgare, restituere & sanare digneris: nocumento omni ac dolore sublato, cunctisque malignorum spirituum pestiferis machinamentis procul depulsis. Per Christum &c.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Filii Dei vivi, qui dedisti Apostolis & fidelibus tuis potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent: te suppliciter exoramus, ut per merita & intercessionem Beatissimæ Matris tuæ

omni-

omniumque Sanctorum tuorum, quæ nos unà cum hoc famulo tuo devotè imploramus, eundem ab omni potestate Satanæ & ministrorum ejus potenter eripere, atq; ab omni ægritudine mentis & corporis clementer liberare digneris.

Ne despicias quæso Redemptor meus me indignissimum Sacerdotem ministrum tuum, te humiliter adorantem & devotè invocantem: sed sicut tradidisti mihi potestatem quotidie offerendi Deo Patri immaculatam hostiam sacratissimi corporis & sanguinis tui, ita nunc tribue mihi potestatem contra nefarium inimicum, & repelle impositionem manuum mearum omni benedictione cœlesti. Qui vivis &c.

Sacerdos surgens super infirmum dicit:

Lectio Jeremiæ Prophetæ capite 14.

SI iniquitates nostræ responderint nobis, Domine fac propter nomen tuum; quoniam multæ sunt aversiones nostræ. Expectatio Israël Deus, Salvator noster in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster. ℟. *Deo gratias.*

Psalm. Deus in nomine tuo salvum me fac, &c. *ut suprà pag.* 191.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.

Sacerdos signet infirmum in fronte, ore & pectore: id quod ad omnia Evangelia debet fieri.

IN illo tempore surgens Jesus de Synagoga introivit in domum Simonis: socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam imperavit febri, & dimisit illam: & continuò surgens ministravit illis. Cum autem Sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum. At ille singulis manus imponens curabat eos. ℟. *Laus tibi Christe.*

Det illi librum osculandum dicens:

Per Evangelica dicta extinguantur in te omnia diabolica facta.

Exorcismus.

Adjuro vos Dæmones infernales, & spiritus malignos, qui perniciosum malum huic creaturæ Dei fabricastis, & conservatis maleficium in ea. Vos, inquam, adjuro per Deum ✠ Patrem omnipotentem, qui creavit cœlum & terram. Adiuro vos per Filium ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum ✠ Christum. Adjuro vos per Spiritum ✠ San-

Sanctum Paraclitum, ab utroq; procedentem. Et præcipio vobis, ut omnibus incantationibus, signaturis & ligaturis vestris sublatis ab hac creatura Dei & omnibus rebus ejus recedatis: atq; ab omni maleficio, incantatione & ligatura liberam relinquatis. Conjuro vos & præcipio vobis per sacratissimum, tremendum & glorificandum nomen JESU, (*hîc scribat illud pollice in fronte ejus*) quod fronti ejus inscribimus: & per signum sanctæ Crucis (*faciat crucem in fronte ejus*) quod fronti ejus damus. & per triumphalem Titulum in cruce ejus scriptum (*scribat sequentes 4. literas INRI. in fronte ejus*) Jesus Nazarenus Rex Judæorum, quem in terrorem vestrum fronti ejus inprimimus, ut cessetis hanc creaturam Dei lædere & vestris maleficiis vexare. Adjuro vos per eum, qui est Alpha & Omega, principium & finis: qui omnia ex nihilo creavit, & omnipotente virtute sua conservat. Adjuro vos per eum, ante cujus faciem ignis præcedet, & inflammabit vos inimicos suos. Adjuro vos per potentiam illius, qui vos rebelles à consortio SS. Angelorum exclusit, & ad sedes tartareas igne & sulphure cruciandos damnavit. Vobis, inquam, præcipio in nomine D.N. Jesu Christi, ut protinus destru-

atis & ad nihilum redegatis omnia maleficia, philtra, incantationes, ligaturas, signaturas, omnesq; vestras noxias pactiones, quibus hanc creaturam Dei infestare, affligere & molestare præsumpsistis: eamq; liberam & sanam, & sine ulla læsione animæ & corporis inposterum permittatis: ut mente & corpore pariter expedita liberam servitutem suo exhibeat creatori. Qui vivit &c.

Aspergat cum aquâ benedictâ.

Psalm. Levavi oculos meos in montes &c. *ut suprà pag. 73.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Marcum.

IN illo tempore dixit Jesus Discipulis suis; Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. ℟. *Laus tibi Christe.*

Det infirmo librum osculandum dicens:

Evangelica Lectio sit tibi salus & protectio.

Iterum adjuro vos dæmones maligni per Deum ✠ omnipotentem, qui divisit lucem à tenebris, ut sine mora amoveatis omnia nocumenta ab hac creatura DEI, & ipsam sine læsione relinquatis. Adjuro vos per gloriosum nomen D. N. Jesu ✠ Christi, qui æternaliter à Patre generatur; ut protinus recedatis, & non amplius appropinquetis huic creaturæ Dei, ad ei inferenda aliqua maleficia. Adjuro vos per virtutem Spiritus ✠ Sancti paracliti, qui in flamma ignis super Apostolos descendit; ut sit quid ad destructionem hujus creaturæ in signum positum sit, illud statim amoveatis, & ad loca arida & in habitacula doportetis. Præcipio etiam vobis ex parte Dei, ut nullum deinceps usurpetis audaciam obsequendi maleficis hominibus, ad nocendum huic creaturæ: & omnia quæ posuistis ad lædendum valetudini ejus protinus destruatis. Et sicut per beatos Apostolos Petrum & Paulum ad nihilum redactæ sunt incantationes factæ per Simonem Magum: ita authoritate Dei omnipotentis dissolvantur omnes sortilegæ artes, præstigia & philtra huic creaturæ fabricata,

Demum adjuro vos per virtutem Crucis ✠ D. N. Jeſu Chriſti, qui deſcendens ad inferos devictâ potentiâ veſtrâ animas SS Patrum inde extraxit; ut remoto dolo & omni obſtinatione deſtruatis ſeu tollaris omnem malignam faſcinationem ab hoc famulo Dei: omniaq; nociva corpori ejus ingeſta educatis per illam viam, quæ ſit magis expedita abſq; læſione corporis & ſanitatis ejus. In virtute D. N. Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare, & vos in baratrum abyſſi dejicere, Amen.

Iterum aſpergatur aquâ benedictâ.

Pſalm. Eripe me Domine ab homine malo: â viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab inſurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris ſanguinum ſalva me.

Quia ecce cæperunt animam meam: irruerunt in me fortes.

Intende animæ meæ & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

Gloria Patri &c.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Initium S. Evangelii ſecundùm Joannem.

In

In principio erat Verbum &c. *ut suprà pag.* 119.

Det ei librum osculandum dicens:

Verba S. Evangelii sint dissipatio omnis maligni consilii.

Exorcismus.

Exorcizo te N. corpore infirmum, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum. Per Deum, qui te primò de terra creavit, & posteà Satanæ fraudibus perditum pretioso sanguine suo redemit, ut effugiat atq; discedat à te omnis phantasia, nequitia ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus, adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

Et tu maledicti Satana, qui huic famulo Dei per quoscunq; vel quomodocunq; læsionis aliquid intulisti, recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero: da honorem Jesu Christo Filio ejus: da honorem Spiritui S. Paraclito: & recede ab hoc famulo Dei, destructis omnibus, quæ per te vel ministros tuos in malum ejus fabricasti. Imperat enim tibi Deus ✠ Pater. Imperat tibi Deus ✠ Filius. Imperat tibi Deus Spiritus ✠ Sanctus. Imperat tibi Majestas ✠

Chri-

Christi. Imperat tibi Sacramentum Cru✠cis ejus. Imperat tibi omnes cœlestis exercitus. Recede ergo maledicte ab hac creatura Dei, eamq; liberam & securam relinque. Non obstantibus quibuscunq; vinculis, maleficiis & maledictionibus, quacunq; virtute, potentia & conditione constantibus.

Adjuro vos igitur dæmones infernales, cujuscunque generis, præsentes & absentes, vocatos aut invocatos. Adjuro vos, inquam, per eum, qui in Isaac est immolatus, in Joseph venundatus, in agno occisus, & in homine crucifixus: ut semota diabolica fraude vestra quantocius recedatis, nec ullatenus creaturam istam molestare valeatis: nec in corpore nec extra corpus: nec per visionem, nec per terrorem: neq; de die, neque de nocte: nec dormiendo nec vigilando: nec comedendo nec bibendo: nec aliquod spirituale aut naturale opus faciendo. Aliter infundo vobis omnes maledictiones, excommunicationes & pœnas tormentorum, atq; detrusionem in stagnum ignis & sulphuris, per manus inimicorum vestrorum: Sancta Trinitate jubente, Michaël Archangelo exequente.

Nam si te nemini aliquo vinculo præcepti innodationis, suffragii, artis aut facturæ

ad

ad quemcunq; perversum finem & effectum compilato & fabricato: sive in verbis, herbis, lapidibus, aut elementalibus: aut in nominibus magni Dei aut Angelorum: sive in horis, diebus, mensibus aut annis superstitiosè observatis: cum pacto expresso aut tacito, etiam juramento firmato: omnia illa irri✠to, annul✠lo & de✠struo: per omnipotentiam ✠ Patris, per sapientiam ✠ Filii, per bonitatem ✠ Spiritus Sancti. Per eum qui ✠ est, qui ✠ erat, & qui ✠ venturus est: Omnipotens, Hagios, Otheos, Ischyros, Athanatos, Tetragrammaton, Jehova, Alpha & Omego.

Recedite igitur maledicti Diaboli cum omnibus maleficiis vestris. Et sicut fumus jecoris piscis combusti dictante Raphaële spiritum à Sacra fugavit; ita exorcismi, adjurationes & benedictiones istæ expellant vos, ut non audeatis ultra accedere ad creaturam istam insignitam (*faciat crucem in fronte ejus*) signo S. crucis. Quia mandatum meum non est meum, sed ejus qui missus est à sinu Patris, ut opera vestra destrueret: nobisq; dedit potestatem ad gloriam suam & utilitatem fidelium vobis imperandi; prout imperamus & præcipimus, ut non audeatis ultra accedere. Per Christum Dn. nostrum.

Asper-

Aspergat aquâ benedictâ, & postea imponat manum super caput ejus.

De impositione manuum Sacerdotis.

Sequentes preces desumptæ ex Rituali Rom. Antverpiæ 1657. impresso, sunt valde efficaces pro corporali & spirituali salute cujuscunque infirmi aut maleficiati: idcirco Sacerdos cum plena fide, fiducia & devotione easdem proferat.

Ponatur extremitas stolæ super caput infirmi, & Sacerdos ponat dexteram suam supra stolam dicens:

Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Jesus Mariæ Filius, mundi salus & Dominus, meritis omnium SS. suorum sit tibi clemens & propitius. Amen.

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus qui Discipulis tuis dedisti potestatem super ægros manus imponendi, ut bene habeant: da quæsumus, ut quod vita nostra non meretur, id nobis virtute ordinis Sacerdotalis, & meritis ab precibus beati N. omniumque Sanctorum concedatur; quò per impositionem manuum nostrarum hic famulus tuus ab omni infirmitate mentis & corporis liberetur, & post hanc vitam gaudia æterna consequatur. Per Christum &c.

Oremus.

Deus, humani generis benignissime condi-

tor

tor & miſericordiſſime reformator, qui nos ſervos tuos non noſtris meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ, ad Sacerdotale officium vocare dignatus es: da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ eſt poteſtatis, operare, atq́. intervenientibus precibus & meritis beati N. omniumqueSS. tuorum concede propitius, ut hic famulus tuus in infirmitate corporis conſtitutus, per tuam benedictionem manuumq́; noſtrarum impoſitionem ab eàdem citius liberetur: & peccatorum ſuorum remiſſione percepta, integra mentis & corporis ſanitate lætetur. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexiſti: Deus, qui miſerabiliter lapſos & variis peccatis irretitos Sacerdotum miniſterio mundari præcepiſti: Deus, qui per manus tuæ impoſitionem animarum & corporum morbos fugaſti, idemq́; opus à Diſcipulis tuis eorumque ſucceſſoribus fieri voluiſti: exaudi preces noſtras pro hoc famulo tuo infirmitate corporis gravato, & manum pietatis tuæ manibus noſtris ſuppone, ut per hanc manus impoſitionem te operante, & ſuffragantibus meritis & precibus glorioſiſſimi ſervi tui beati N. omniumque Sancto-

Sanctorum descendat super eum cœlestis benedictio gratiaque Spiritus Sancti; ut ab omnibus venenosis nocumentis universisque infirmitatibus & periculis animæ & corporis liberetur. Per eundem Dominum &c.

Sanet te Dominus noster Jesus Christus: intercedat pro te beatissima Virgo Maria: orent pro te omnes Sancti beatorumq; Spirituum Ordines: interveniant pro te omnes Sancti & Sanctæ Dei, ut plenam & perfectam sanitatem consequaris: In nomine Pa✠tris, &c.

De ei stolam osculandam, & addat:

Benedicat tibi Dominus ✠ & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super te, & maneat semper tecum. Amen.

Aspergat eum aquâ benedictâ.

Demum benedicat ei panem & vinum, dicatque infirmo vel malesticato, ut per dies novem aliquid de pane benedicto jejunus comedat, & de vino bibat: singulusque novem diebus quinque Pater noster & Ave Maria oret, detque pauperibus eleemosynam: sicut habet Rituale Rom. Antverp. impressum.

Benedicat quoque ei Thus, (ut sequitur,) jubeatque indies aliquid cremare in sua camera. Poterit & herbas benedicere, quas maleficiatus supponat noctu capiti suo. Quia hæc omnia magnam habent efficaciam contra Dæmones.

Bene-

Benedictio Thuris.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℞. *Qui fecit cœlum.*

Exorcizo te creatura incensi per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ Sanctum. Per Deum, qui omnia ex nihilo creavit, & pravos Angelos de cœlo ad ista inferiora expulit: ut sis in defensionem nostram, & efficiaris fumigatio & creatura benedicta in perpetuam pœnam omnibus malignis spiritibus, & in solutionem omnium ligaminum. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

Oremus.

Domine Jesu Christe, bene ✠ dicere & sanctificare per tuam clementiam digneris hanc creaturam incensi; ut in quemcunque locum odor ejus pervenerit, ibi nullus spiritus, nulla incantatio, nullumq; maleficium possit perdurare aut consistere. Et sicut fumus jecoris piscis à Sara dæmonium expulit, ita fumus incensi hujus expellat omnes malignos spiritus cum omnibus maleficiis suis, per signum sanctæ Cru ✠ cis tuæ, in qua redemisti mundum. Qui vivis &c.

Oremus.

Deprecor te Domine Jesu Christe, ut hanc creaturam odoriferam, quam in nomine tuo

puri ✠ fico, sancti ✠ fico & bene ✠ dico, tua sancta virtute digneris corroborare, & odore ejus omnes dæmones cum facturis suis effugare. Et ego Sacerdos Dei bene ✠ dico te creatura odorifera, ut in odore tuo benedicatur domus, locus & cubile, ubi aspersa fueris; ita ut nullus spiritus malus odorem tuum sentiens possit stare aut perdurare. Nam domum, locum & cubiculum, ubi odor tuus fuerit, bene ✠ dico, & omni benedictione cœlesti repleo; ita ut sit domus, & locus, & cubiculum Dei, & habitaculum SS. Angelorum. Et quisquis fumigatus fuerit hâc creaturâ benedictâ, sanctificetur & benedicatur à D. N. Jesu Christo, & sit liber ab omni infestatione Satanæ & ministrorum ejus. Per eundem Christum &c.

Oremus.

Per intercessionem B. Michaëlis Archangeli stantis à dextris Altaris incensi, & omnium Electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene ✠ dicere, & in odorem suavitatis accipere. Sit quæsumus Domine famulis tuis pretioso sanguine tuo redemptis defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, & omnes incantationes, præstigia & diabolicas vexationes. Et in quocunque loco odor hujus incensi fuerit, nullum male-

ficium

ficium nullaq; molestatio diabolica possit perdurare: sed statim tuâ immensà potentiâ & virtute tollatur, & abigatur per signum S. Cru✠cis tuæ. Qui vivis &c.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Ad cognoscendum num aliquis sit obsessus.

Benedicatur Charta, ut sequitur, & in ea scribantur sequentia nomina Dei, ponanturque super caput patientis ipso nesciente. Si fuerit quietus, non erit obsessus: si autem fuerit obsessus, proderit se Diabolus.

Conjuratio Chartæ.

Conjuro & bene✠dico te charta per verba illa Tituli triumphalis D. N. Jesu Christi pendentis in cruce: Jesus Nazarenus Rex Judæorum: & per omnia alia nomina & verba, quæ dicuntur de creatore omnium creaturarum: & per illum, qui potest omnia tribuere & facere; quòd tantam obtineas virtutem, ut omnia quæ super te scribentur, ad effectum salutis æternæ perducere valeas. Et omnis fallacia & virtus Diabolica exeat de te, & intret in te omnis virtus prædicta. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Aman.

Hic addatur Benedictio Chartæ p. 256. posita.

Aspergat aquâ benedictâ, & scribat super eam sequentia Nomina DEI.

In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus

 ✠ San-

✠ Sancti Amen. Hel ✠ Helo✠im, So✠ther, Emma ✠ nuel, Sa ✠ baoth, A ✠ gia, Thetra-✠ grammaton, Ha ✠ gios, Othe ✠ os, Ischy-✠ ros, Atha✠natos; Je✠hova, y✠a, Ado- ✠ nay, Sa✠day, Homou✠sion, Mes✠sias, E-sro✠heye, increatus ✠ Pater, increatus ✠ Filius, increatus Spiritus ✠ Sanctus. Christus ✠ vincit, Christus ✠ regnat, Christus ✠ imperat. Si Diabolus ligavit vel tentavit te suo effectu vel per sua opera, Jesus Christus Filius Dei vivi per suam misericordiam liberet te ab omnibus spiritibus immundis: qui venit de cœlo, & incarnatus est in utero Beatissimæ V. Mariæ, causâ humanæ salutis & ejiciendi Diabolum & omnem malignum spiritum à te in profundum inferni.

Ecce Crucem Domine, fugite partes adversæ, vicit Leo te Tribu Juda, Radix David.

Remedium contra Febres.

ex S. Ambrosio.

Infirmus confessus & S. Eucharistiâ confectus quinque continuis diebus jejunus in Ecclesia genuflectat, teneat que candelam benedictam accensam in manibus. Sacerdos verò singulis diebus stolâ indutus legat super eum sequentes preces. Primò quidem ponat manum super caput infirmi dicens:

Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Jesus Mariæ Filius, mundi salus & Dominus, meritis Sanctorum suorum sit

tibi clemens & propitius, & liberet te ab omni febre. Qui vivit & regnat &c.

Juſtus es Domine & rectum judicium tuum: fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotentem Deum, qui per SS. Apoſtolos & Martyres ſuos diverſa ſanitatum dona largitur, fratres chariſſimi deprecemur, ut huic famulo ſuo N. (famulæ ſuæ N.) qui febris vexatione fatigatur, fideliſſimi famuli ſui Sigiſmundi precibus clementer occurrat: qui dum nobis illius patefecit merita, iſti conferat medicinam. Per Chriſtum &c.

Lectio Epiſtolæ B. Jacobi Apoſt.

CHariſſimi, triſtatur aliquis veſtrûm, oret, æquo animo eſt, pſallat. Infirmatur quis in vobis, &c. *ut ſuprà pag. 236.*

℣. Domine refugium factus es nobis à generatione & progenie. ℟. Alleluja.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam.

In illo tempore ſurgens Jeſus de Synagoga &c. *ut ſuprà pag. 278.*

Det ei librum osculandum.

Infirmorum propitiator, abjectorum protector, desperatorum salvator, Deus patris mei, & Deus hæreditatis Israel: dominator cœlorum & terræ, creator aquarum, & rex totius creaturæ: exaudi preces nostras, & ad aures misericordiæ tuæ supplicantium vota perveniant.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui contulisti fidelibus tuis remedium vitæ post mortem, ut sanos se esse sentiant, quibus paradisus patet: præsta quæsumus, ut quod fideliter in nomine electi tui Sigismundi pro infirmantibus petimus, famulus tuus, qui febrium patitur molestiam, celerem medicinam consequatur. Præsta ergo Domine, ut quicunq; sub conspectu nominis tui nomen famuli tui Sigismundi invocaverit, ad sanitatem pristinam ex tua gratia se pervenisse protinus sentiat. Per Dominum nostrum &c.

Per omnia secula seculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Sursum corda &c.

Gratias agamus Domino Deo nostro &c.

Verè dignum & justum est, æqvum & salutare,

lutare, nos tibi ſemper & ubiq; gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui peccata noſtra portavit in corpore ſuo: cujus vulnere plagarum ſanati ſumus: cujus tactu vis febrium mox receſſit: cujus ſermone confeſtim ſurdus audivit: cujus juſſu mutus fari non diſtulit, claudus cucurrit, cæcus vidit, ægrotus convaluit, qnatriduanus de ſepulchro ſurrexit. Nunc ergo Domine donum majeſtatis tuæ agnoſcimus, requiem esſe homini pacifico. Tu namq; omnipotens æterne Deus, qui inter bellatorum tumultus & adverſantium perſecutiones famulo tuo Sigiſmundo triumphum martyrii contuliſti, ſecutus gratiam, ſecutus miſericordiam; ut poſt mortem oſtendat virtutem, quam ante mortem firmavit. In fide enim tua dona ſunt Domine; ut in nomine electi tui Sigiſmundi per communicationem corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti tempeſtatem frigoris excutias, febrium ardorem repellas & præſentem famulum tuum N. ad ſanitatem priſtinam revocare digneris, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem tuam,&c. *ut in Præfatione, unà cum* Sanctus, Sanctus, &c. Non eſt aliud refugi-

um nisi in te sperare Christe, precibus supplicum tuorum libera nos Domine.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui omnem infirmitatem & omnem languorem ab humanis corporibus tua pietate depellis, adesto propitius servo tuo (famulæ tuæ) N. & ad pristinam sanitatem citò eum (eam) revocare digneris. Per Dn. &c.

Aspergat eum aquâ benedictâ. Deinde unaquaque die ungat cum oleo benedicto (ut suprà p. 235.) in fronte, dicens:

Per istam sanctam unctionem, & piissimam Dei misericordiam libero te ab omni febre: In nomine Pa ✠ tris, &c.

Demum det ei frustum, panis albi benedicti manducare: & quidem primo die det ei frustum, in cujus crusta cultello incisa sint sequentia verba: CHRISTUS NATUS EST. Secundo mane pariter det panem, in quo incisum sit: CHRISTUS MORTUUS EST. Tertio die det ei panem cum his verbis: CHRISTUS RESURREXIT. In quarto frusto, sit incisum: BENEDICTIO DEI SIT IN ME. In quinto frusto sit incisum: DEO GRATIAS.

Benedictio Vini pro infirmis.

Exorcizo te creatura vini in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti: ad honorem B. Mariæ V. & sancti N. ne sis communis ulli spiritui immundo: sed medicina omnibus fidelibus, permanens in visceribus eorum. Ut qui te devotè gustaverit vel biberit, ab eo omnis spiritus immundus cum omnibus

mnibus veneficiis ſuis recedat. Benedico ✠ te igitur creatura vini in nomine D. N. Jeſu Chriſti omniumq́; Sanctorum, ut ſis purgatio omnium maleficiorum, & medicina omnium languorum. O Domine Jeſu Chriſte, qui ad demonſtrandam virtutem Divinitatis tuæ in Cana Galilææ aquam convertiſti in vinum: dignare quoq́; exorcizare, bene ✠ dicere & ſanctificare hoc vinum, ut ſit remedium efficax contra omnem poteſtatem inimicorum ſpiritualium, & contra omnia meleficia facta & facienda: ita ut nullus ſpiritus malus, nullaq; malitia ejus poſſit latere in homine iſto, qui hoc vinum piè guſtaverit. Per tuam S. paſſionem & crucem, perq́; fel & acetum, quod bibendo ſanctificaſti, concedere digneris, ut qui ex hoc vino benedicto biberit, mundetur à ſpiritibus immundis omniq; maleficio: & omnis virtus Diaboli ab eo exterminetur, atque poteſtas tua in virtute vorborum tuorum in eo prævaleat. Et ego Sacerdos tuus in nomine ſancto tuo & in poteſtate mihi tradita bene ✠ dico atq́; ſancti ✠ fico hoc vinum, ut vulpes infernales, demolientes vineam tuam, unà cum operibus ſuis maleficis deſtruantur, confringantur & annihilentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Bene ✠ dic Domine & ſancti✠fica hoc vinum, ut ſit vinum ſcientiæ, terroris, amoris atq; virtutis, ad ſanandas tuas creaturas ex eo devotè guſtantes, & nomen S. tuum invocantes. Da Domine per merita Sancti N. omniumq; Sanctorum, ut vinum hoc benedictum corpus ſanet, intellectum clarificet, memoriam corroboret, voluntatem accendat, cor lætificet, animam purget, triſtitiam expellat, maleficia deſtruat, & omnia opera Satanæ annihilet. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Bene✠dico Domine hoc vinum & ſancti✠fico illud, ut ſit tanquam vinum, quod Chriſtus dat devotis ſuis in convivio ſuo ſpirituali. Bene ✠ dico Domine & puri✠fico illud: atq; per hoc ſacratum vinum deſtruo omnia maleficia, fugo omnes dæmones, & annihilo omnem contrariam virtutem: per majeſtatem & virtutem tuam, qui torcular calcaſti ſolus, & in vino iræ tuæ potabit omnes gentes tibi inimicas. Qui vivis & regnas &c.

Oremus.

Deus, cujus Unigenitus Apoſtolis ſuis dixit: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet: quiq;

beatum

beatum N. dono curationis mirabiliter ornasti; quæsumus, ut ipsius deprecatione hoc vinum bene✠dicas, eoque utentibus salutare esse concedas. Per Dn. nostrum &c.

Et bene ✠ dictio Dei omnipotentis Pa- ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super hanc substantiam vini, ut ad effugandos dæmones morbosq; pellendos divinæ gratiæ sumat effectum, sitq; omnibus id sumentibus adjutorium & remedium. Per Christum Dominum &c.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Benedictio Medicinæ.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Quæsumus clementiam tuam, omnipotent æterne Deus, ut hanc medicinam ad expellendas omnes ægritutines, virtutesq; diabolicas, & infestationes meleficiales, atque ipsos dæmones à corporibus humanis repellendos, bene✠dicere & sanctificare digneris. Et per potentiam virtutis tuæ in eo, qui eam sumpserit, vel eâdem se unxerit, extingue febrium infestationes, viscerumque cura tormenta, cordis & capitis dolores dissolve, gravitatis pectoris remove, tumores quoscunque

que mitiga, phantaſmaticis adeſto periculis, & infeſtationes cunctas à quibusvis partibus corporis repelle. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Piiſſime Deus, qui ſumma & media, imaque cuſtodis; quique omnem creaturam intrinſecus ambiendo concludis, bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris hanc medicinam, diviniſſimamq́; bene✠dictionem tuam ſuper eam effunde, ut per tuam omnipotentem virtutem copioſiſſimamq́; benedictionem, perque ſignum ſanctæ Cru ✠ cis tuæ omnis virtus diabolica ab hac creatura, quæ eam ſumptura eſt, expellatur & annihiletur: tantamque virtutem merito paſſionis & vivificæ Cru ✠ cis tuæ recipiat, ut omnes immundos ſpiritus, incantationes & maleficia poſſit expellere, & famulo tuo, qui eâ utetur, plenum ſanitatis effectum exhibere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Benedico te creatura medicinæ in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spititus ✠ Sancti, ut ſis expulſio præſentis morbi, & effugatio Diaboli cum omnibus facturis & armis ſuis. Exorcizo & bene✠dico te medicina, ut virtutem naturalem retineas, & ſupernaturalem recipias, ad evacuandos, deſtruendos & annihilandos

landos à corpore humano omnes dolores, morbos & infirmitates; In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Pro impeditis in Matrimonio.

Sacerdos coram cruce & ardente candela genuflexus, & ambobus conjugibus retro eum genuflexis dicat Litanias ut suprà pag. 273. usque

Peccatores. Te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas. Te rogamus.
Vt nobis indulgeas. Te rogamus.
Vt hos famulos tuos custodire digneris.
Vt eos ab insidiis inimici protegere digneris.
Vt eos à vexatione diabolica liberare digne-
Vt nos exaudire digneris. (ris.
Fili Dei. Agnus Dei &c.

℣. *Salvos fac servos tuos.*
℟. *Deus meus sperantes in te.*
℣. *Mitte eis Domine auxilium de sancto.*
℟. *Et de Sion tuere eos.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eis.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.*
℣. *Esto eis Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Sacerdos surgens dicit :

Exaudi nos omnipotens & misericors De-

us:

us: ut quod nostro ministratur officio, tuâ benedictione potius impleatur.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, ut quod te auctore junctum est, te auxiliante servetur.

Deus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, quiq; dispositis universitatis exordiis hominem ad imaginem Dei factum ideo inseparabile mulieris adjutorium condidisti, ut fœmineo corpori de virili dares carni principium; docens quod ex uno placuisset institui, nunquam licere disjungi. Deus, qui tam excellenti mysterio conjugalem copulam consecrasti, ut Christi & Ecclesiæ Sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum. Deus, per quem mulier jungitur viro, & societas principaliter ordinata eâ benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluvii est ablata sententiam. Respice propitius super hos famulos tuos, qui maritali juncti consortio tuâ se expetunt protectione muniri. Sit in illis jugum dilectionis & pacis, & nihil in illis ex actibus suis ille auctor prævaricationis usurpet. Sint fœcundi in sobole, & videant filios filiorum suorum usque ad tertiam & quar-

quartam generationem. Adoptatam perveniant ſenectutem, atque ad cœleſtia regna perveniant. Per eundem Dominum &c.

Aſpergat eos aquâ benedictâ & proſequatur.

Lectio libri Tobiæ c. 8.

TUnc hortatus eſt virginem Tobias, dixitque ei: Sara exurge, & deprecemur Deum hodie & cras, & ſecundum cras: quia his noctibus Deo jungimur: tertiâ autem transactâ nocte in noſtro erimus conjugio. Filii quippe Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi, ſicut gentes qui ignorant Deum. Surgentes autem pariter inſtanter orabant ambo ſimul, ut ſanitas daretur eis. Dixitque Tobias: Et nunc Domine, tu ſcis quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſeculorum. Dixit quoq; Sara: Miſerere nobis Domine, miſerere nobis, & conſeneſcamus ambo pariter ſani. Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.

℟. *Deo Gratias.*

Pſalm. Beati omnes qui timent Dominum.

Ut in feria quarta ad Veſperas.

℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

+ Sequentia S. Evangelii secundùm Joannem.

IN illo tempore Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Jesu ibi: vocatus est autem & Jesus & Discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino dicit mater ejus ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus ministris: Quodcunq; dixerit vobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas usq; ad summum. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat unde esset: (ministri autem sciebant qui hauserant aquam,) vocat Sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usq; adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli ejus. ℟. *Laus tibi Christe.*

Det eis librum osculandum dicens:

Per Evangelica dicta deleantur omnia diabolica facta.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Beatissimæ Virginis Mariæ desponsatæ Joseph dignissimus Filius, qui in paradiso terrestri Matrimonium instituisti, in officium, conservationem & multiplicationem humani generis: & ipsum Matrimonium in adventu tuo mirabiliter honorasti, & primordiis miraculorum tuorum consecrasti: dignare hos famulos tuos, quos matrimonialiter conjunxisti, per merita & preces Beatissimæ V. Mariæ matris tuæ omniumque Sanctorum & Sanctarum tuarum bene✠dicere, & ab omni ligamento, fascinatione & maleficio Satanæ ac ministrorum ejus plenè liberare. Da eis fœcunditatum & gratiam, ut liberè possint uti matrimonio suo, ad generandas & educandas proles ad laudem & gloriam tuam. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui Beatissimæ V. Mariæ uterum mirabiliter fœcundasti, ut de Spiritu S. conciperet, pareret & nutriret te Deum ac Salvatorem no-

ſtrum: ſuppliciter invocamus clementiam tuam, ut his famulis tuis fœcunditatem donare digneris, ut generare ac nutrire valeant proles in vitam æternam. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui primos parentes noſtros bona ſocietate copulaſti: bene✠dic & ſancti✠fica hos conjuges. & ſemina in eis ſemen vitæ æternæ. Corda eorum Sancti Spiritus munda infuſione, libera eos à maligna dæmonum infeſtatione, & omnes mentis & corporis adverſitates ab eis repelle Ut munimine tuo protecti devotè laudent nomen ſanctum tuum, quod eſt benedictum in ſecula ſeculorum. Amen.

Iterum aſpergat eos, & exorcizet ut ſequitur:

Exorcizo vos impuri dæmones, humani generis & divinæ diſpoſitionis inimici, in nomine SS. Trinitatis, Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, cujus providentiâ omnia in ſuo ordine conſervantur: ut quidquid adverſus hos conjuges moliti eſtis ad impediendam filiorum generationem, juxta modum à creatore ardinatum, ejusdem Dei noſtri poteſtate coacti amoveatis. Adjuro vos per eum, qui de virgine naſciturus, ut ſua quoq; Nativitate conjugalem ſtatum honoraret,

raret, eam potissimùm elegit in matrem, quæ jam erat desponsata viro: ut dissipatis maleficis vestris pactionibus aut maleficii signis, quidquid his conjugibus nocumenti aut impedimenti intulistis, continuò auferatis, liberosque ab omni vestra fascinatione relinquatis. Adjuro vos per eundem D. N. Jesum Christum, qui venit in hunc mundum, ut dissolvat opera Diaboli, & chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci: ut quidquid incantatione aut ligaturâ, aut quocunq; maleficio secundùm damnabiles artes vestras effectum est, quo impediantur conjuges isti sanctum Matrimonii statum amplexi, ne ea, quæ status sui sunt, liberè valeant exercere, id omne dissolvatis & amoveatis, & nullum propter illa nocumentum aut impedimentú deinceps adferre præsumatis. Invocamus enim contra vos terribile nomen D. N. Jesu Christi, ut omnes pactiones vestras rumpere compellamini; neq; maleficis, quos vestrâ quasi fidelitate decipitis, fidem servare, aut quod pacti estis, perficere ulterius permittamini; cogente vos cruce Christi, cujus signo hos Christi servos consignamus. (*formet crucem super frontes amborum*) Urgente vos ejusdem D. N. eminentissima potestate, quâ &

ipſe ſpiritus nequam ejiciebat verbo, & Diſcipulis ſuis poteſtatem dedit calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & omnem virtutem inimici. In ejus ergo virtute præcipio vobis, ut ordinem à Deo ad humani generis propagationem inſtitutum perturbare deſiſtatis; ut invidia veſtra, quâ & Deo gloriam, & humano generi ſalutem auferre nitimini, vano conatu tabeſcens, vobis tantummodo cruciandis deſerviat. Hominum verò generatione, ſecundùm honorabile conjugium torumq; immaculatum procedente, electorum numerus impleatur, aſpirante eodem D. N. Jeſu Chriſto, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. Amen.

Aſpergat eos aquâ benedictâ, & legat ſuper eos Evangelium S. Joannis, ut ſupra p. 119. Demum det illis benedictionem dicens:

Dominus noſter Jeſus Chriſtus apud vos ſit, ut vos conſervet: intra vos ſit, ut vos confortet: ante vos ſit, ut vos deducat: poſt vos ſit, ut vos cuſtodiat: ſuper vos ſit, ut vos dexterâ ſuâ ſanctâ bene ✠ dicat. Qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Benedicat eis thus, ut in Rituali Bened. Domus p. 89. & jubeat illud cremare in ſua camera, antequam decumbant. Benedicat eis etiam vinum, ut ſuprà pag. 269. ex quo per novem dies aliquid deguſtent jejuni.

Modus

Modus vestiendi Parvulos in Habitu Ordinis.

Adsit aqua benedicta & cereus pervus, deinde matre tenente parvulum ante Altare, in quo duæ candelæ ardeant, genuflexâ, Sacerdos superpelliceo & stolâ albâ indutus benedicat Habitum & Chordam seu cingulum in cornu Epistolæ, dicens:

Benedictio Habitus.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui pro nostra salute suscipiens humanam naturam te vestimento carnis induere dignatus es: benedictione tua sancta bene ✠ dic ista parvula indumenta, quæ pro gratiis tibi exolvendis cum omni devotione sanctoq; voto, ac in honorem Beatissimæ V. Mariæ, ac S. Patris nostri N. infans iste super se susoepturus est: ut iisdem indutus ceu clypeo protectus, & galeâ adversus nequitias spirituales & malorum hominum insultus, sub umbra alarum tuarum ut pupilla oculi tui custodiri atque defendi mereatur. Qui vivis &c.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui in sacratissimo B. Mariæ V. utero, cooperante Spiritu Sancto, tegumen nostræ mortalitatis induere, & in

in amara passione tua purpurâ vestiri, & corona spineâ pro redimendo homine coronari voluisti: immensam largitatis tuæ abundantiam humiliter imploramus, ut per intercessionem beatissimæ V. Mariæ & S. Patris nostri N. hæc parvula indumenta bene ✠ dicere & sancti✠ficare digneris, ut infans iste, qui ea ad honorem B. Patris nostri N. ex voto parentum suorum portaturus est, cœlestis gratiæ abundantiam, bene ✠ dictionisq; tuæ plenitudinem valeat accipere: quâ in omni vita sua adjutus, tibi Deo creatori suo fideliter valeat famulari. Qui vivis &c.

Benedictio Chordæ.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti: bene✠dic quæsumus cingulum istud, & præsta, ut infans iste, qui eodem in memoriam vinculorum ejusdem Filii tui, & ad honorem B. Patris nostri N. cingetur, indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequatur, & ab omni malo animæ & corporis liberari mereatur. Præstante eodem Domino nostro Jesu Christo Filio tuo, qui decum vivit &c.

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, qui Fili-

um tuum unigenitum, vinculis humanitatis noſtræ præcinctum, ut nos à peccatorum nexibus ſolveret, funibus ad columnam ligari voluiſti; quique Beatum Patrem noſtrum N. eidem Filio tuo aſſimilare, & ſimilibus ligaminibus ornare dignatus es: oramus clementiam tuam, ut irrigante deſuper gratiâ tuâ cœleſti benedictione hanc chordam bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris, ut quisquis hâc præcinctus fuerit, per paſſionem Filii tui D. N. Jeſu Chriſti & Beati Patris noſtri N. interceſſionem, ab omnibus viſibilium & inviſibilium inimicorum laqueis eruatur, & ſancto charitatis ligamine ad te fortiſſimè alligetur. Per eundem Dn. &c.

Aſpergat Habitum & Chordam aquâ benedictâ, & converſus ad infantem dicat:

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, omnis boni author & promotor, infunde quæſumus parvulo huic tuam ſanctam bene✠dictionem, ut quam primum induerit hoc religioni ſimile veſtimentum, intercedente B. V. Maria atque Beato N. deſcendat ſuper eum gratia & miſericordia tua, quæ per virtutem Spiritus S. cor eius corroboret, vitam ſanctificet, ſenſus ejus muniat, atq; ab omnibus diabolicis & humanis inſidiis tua virtute & protectione defendat. Per Dominum &c.

Aspergat infantem aquâ benedictâ. Deinde exuat eum superioribus vestimentis, dicens:

Eripiat Dominus de corde tuo ſeculi pompas, quibus abrenuntiaſti, dum Baptiſmum ſuſcepiſti.

Pſalm. Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: & inſurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris ſanguinum ſalva me. Gloria Patri.

Poſteà induat eum Habitu dicens:

Immittat in te Dominus ſanctum religionis amorem, ſanctoque fervore ſuccendaris, & ardeas cœleſtium bonorum deſiderio.

Pſalm. Qui habitat in adjutorio altiſſimi, &c. *ut ſuprà p. 42. uſq;* ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Gloria Patri.

Hic cingat eum dicens:

Præcingat te Dominus zonâ juſtitiæ, & conſtringat lumbos tuos cingulo continentiæ, ut immaculatus conſerves omnia mandata ſua.

Pſalm. In te Domine ſperavi, non confundar in æternum: in juſtitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii: ut ſalvum me facias. Quo-

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me & enutries me.

Educes me de laqueo hoc quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

Gloria Patri &c.

Hic det ei candelam ardentem in manus, quam ſuperius ſuſtentans dicat:

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis ſerva mandata DEI: ut cum Dominus ad nuptias venerit, poſſis ei cum omnibus Sanctis in aula cœleſti occurrere, & præmia vitæ æternæ conſequi in ſecula ſeculorum. Amen.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, lux vera de lumine vero: quæſumus clementiam tuam, ut per interceſſionem Beati Patris noſtri N. mentem parvuli hujus illumines, ut cùm ad annos diſcretionis pervenerit, ſancto tibi corpore animoq; deſerviat. Qui vivis &c.

Hic ponat eum ſuper Altare tectum, & quidem ſuper cuſſinum à cornu Epiſtolæ, dextera manu interſcapulas eum ſuſtentans, dicat.

℣. *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.*
℟. *A templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æter-

ne Deus, qui unigenitum Filium tuum post quadraginta dierum spatium per Beatissimam Matrem suam Virginem Mariam tibi offerri, & in templo tuo præsentari voluisti: suscipe quæsumus hunc parvulum, quem tibi devotâ mente offerimus, & servitio tuo consecramus, & præsta, ut virtute oblationis hujus toto tempore vitæ suæ tibi fideliter deserviat, neq; per ullas tentationes diabolicas à Deo suo separari valeat. Confirma in eo quæsumus gratiâ tuâ supercœlesti, quod in Baptismo in eo operatus es, & conserva in eo innocentiam, quam eidem in sacro fonte contulisti. Spiritus tuus bonus deducat eum in terram rectam, & benedictio tua sit super eum semper. Per Dn. nostrum &c.

Demum reddat eum matri, dicatque super eum sequentem orat.

℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos complexans (*hîc ponat manum super caput ejus*) manusq; super illos imponens bene✠dicebas, dicens: Sinite parvulos ad me venire, & ne prohibueritis eos, talium est enim regnum cœlorum. Respice quæsumus ad parvuli hujus innocentiam, parentumque ejus devotionem, & clementer eum per mini-

sterium

sterium nostrum bene ✠ dicere, & in bono confirmare digneris. Bene✠dicat eum quæsumus omnipotentia tua: instruat eum sapientia tua: repleat eum dulcedo tua: trahatque eum ad te bonitas tua. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis &c.

Tandem det ei & circumstantibus benedictionem.

Bene ✠ dicat vobis Dominus & custodiat vos. Ostendat vobis Dominus faciem suam, & misereatur vestri: convertat Dominus vultum suum ad vos, & det vobis pacem.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ S. descendat super vos & maneat semper. Amen.

Aspergat se & illos aquâ benedictâ.

Modus exuendi Puerorum expleto voto.

Sacerdos superpelliceo & stolâ indutus, stans ante Altare, in quo duæ candelæ ardeant, matre cum parvulo ante Altare genuflexâ, signando se dicat:

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, à quo omne datum optimum & omne bonum perfectum descendit, piissimæ majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus,

mus, & expleta vota offerimus, tuam clementiam exorantes, ut eadem cum actionibus gratiarum benignè suscipere, & parvulo huic unà cum parentibus suis misericordiam tuam impertiri digneris. Præsta eis, quæsumus Domine, intercedente Beatissima Virg. Maria, Sanctoq; Patre nostro N. salutem mentis & corporis, & copiosam gratiam tuæ divinæ bonitatis, ut te creatorem suum recta fide colant, in te redemptorem suum spem firmam collocent, & te summum bonum suum super omnia diligant. Per Dn. &c.

Habitum ei exuendo dicat:

℣. Vovete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Psalm. Laudate pueri Dominum &c. *ut suprà pag.* 207.

Posito habitu super Altari dicat:

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Suscipe Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, vota precesq; supplicium, atq; per intercessionem B. Mariæ V. & S. Patris nostri N. in cujus honorem parvulus hic Habitum illum benedictum usq; ad expletionem voti parentum suorum detulit; concede, ut quem hodie in hoc sancto templo tuo depo-

nit à corpore, amorem ejus ſemper retineat in corda. Ut in moribus & actibus ejus nihil puerile, nihilq; vanum & peccaminoſum appareat; ſed omnes ejus intentiones & opera pietatem redoleant, gravitatem ſpirent, & virtutem affectent. Præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui tecum vivit &c.

Hic legat ſuper eum Evangelium S. Joannis In principio *&c. ut ſuprà p. 119. & ſinito eo det ei librum oſculandum.*

Et demum dicat ſuper eum orationem Domine Jeſu Chriſte *&c. ut ſuprà p. 314. detq; ei benedictionem & aquam, ut p. 315.*

Benedictio Veſtimentorum.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*

Exorcizo vos creaturæ diverſæ indumentorum per eum, ✠ qui ad decorem & ornamentum generis humani vos paravit: per eum, ✠ qui volucres cœli, beſtias terræ & piſces maris induit: per eum, qui per Moyſen veſtes ſanctas in gloriam & decorem Aaron fieri, & Templum Salamonis auro puriſſimo veſtiri, picturiſq; & ornamentis pretioſiſſimis ornari voluit; ut ſitis indumenta bene ✠ dicta, & pura ab omni labe & macula ſpurciſſimi Satanæ, ipſiusq; inimici operationes & vires nequaquam retinere valeatis, Sed ſitis indumenta bene ✠ dicta & ſancti- ✠ ficata per eum, qui cinctus humanitate, ut genus humanum redimeret, morti ſe ſubjecit,

& nunc gloriâ & immortalitate indutus vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Oremus.

Omnipotens æterne Deus, qui inter cætera mirabilia tua creaturas diversis ornamentis decorasti, & tunicas pelliceas Adæ & Evæ fecisti, nosque veste misericordiæ in hoc seculo, & in futuro regno stolâ gloriæ circumdas: quæsumus, ut hæc indumenta pro tui nominis honore puri ✠ ficare & bene- ✠ dicere digneris, quæ & ego in nomine tuo puri✠fico & bene✠dico, tuamque clementiam supplex invoco, ut creaturam istam, quæ his indumentis vestietur, sub tua protectione conservare, & copiosis meritis diversisq; virtutibus ditare & ornare digneris, ut cùm senseris horum vestimentorum fragrantiam, des eidem creaturæ tuæ osculum pacis, & benedicas eam in anima & corpore. Concede Domine, ut odor horum vestimentorum sit sicut odor thuris, qui Angelos lætificet, dæmones verò in fugam convertat. Da quoque Domine, ut famulus tuus (famula tua) qui (quæ) hæc vestimenta portaverit, cœlestis gratiæ plenitudinem, & tuæ protectionis munimen mereatur accipere, atque ab omnibus inimicorum maleficiis, incantationibus & insidiis incolumis permaneat, teque

Deum

Deum suum omnipotentem glorificet in tempore & æternitate Per Dominum &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, &c.

Benedictio Militum, ad bellum seu prælium euntium.

Primò dicuntur super milites genuflexos tres Psalmi sequentes, scilicet:

Eripe me Domine, *ut Feria VI. ad Vesp.*

Benedictus Dominus Deus, *ut Sabb. ad Vesp.*

Lauda anima mea Dominum, *ut ibidem.*

Pater noster, *dicitur flexis genibus.*

℣. *Salvos fac servos tuos.*

℟. *Deus meus sperantes in te.*

℣. *Esto eis Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eis.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cuncta solus ordinas & rectè disponis, quique ad coërcendam malitiam reproborum & tuendam justitiam, usum gladii in terris hominibus tua salubri dispositione permisisti, & militarem ordinem ad populi protectionem institui voluisti. Deus, qui per Beatum Joannem militibus ad se

in desertum venientibus ut neminem concuterent, sed propriis contenti essent stipendiis, dici fecisti: clementiam tuam suppliciter exoramus, ut sicut David puero tuo Goliam superandi largitus es facultatem, & Judam Machabæum de feritate gentium nomen tuum non invocantium triumphare fecisti; ita & his famulis tuis, qui pro justitia & veritate ad bella procedunt, pietate cœlesti vires & audaciam ad fidei & justitiæ defensionem tribuas, & præstes eis fidei, spei & charitatis augmentum. Da eis Domine tui timorem periter & amorem, humilitatem, perseverantiam, obedientiam & patientiam bonam, ut neminem injustè lædant, sed omnia justa & recta defendant. Te timeant & rectè colant, perfidorum consortia vitent, suam in proximum charitatem extendant, præpositis suis in omnibus rectè obediant, & suum in cunctis justè officium exequantur. Per Dominum nostrum &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore dixit Jesus turbis: Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit

cum

cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin ille adhuc longè agente legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulis.

℟. Laus tibi Christe.

Potest etiam legi Evangelium S. Joannis, ut suprà p. 119. sub quo milites stant & tenent evaginatos gladios, in signum quòd pro veritate S. Evangelii velint pugnare usque ad mortem.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, super hos famulos tuos, qui pro gloria tua & propagatione justitiæ ad bella procedunt, gratiam tuæ bene✠dictionis infunde: & eos dexteræ tuæ virtutæ fretos, fac contra cuncta adversantia cœlestibus armari præsidiis, quo nullis in hoc seculo tempestatibus bellorum turbentur, sed te auxiliante hostibus suis fortiores evadant. Per Dominum nostrum &c.

Hic benedicat singulorum gladios, quas milites stantes in manibus tenent.

Benedictio Ensis Militaris.

℣. Adjutorium nostrum. ℟. Qui fecit cælum.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi quæsumus Domine preces no-

 stras,

ſtras, & hunc enſem majeſtatis tuæ dexterâ dignare bene ✠ dicere, quatenus famulus tuus, qui eo utetur, poſſit eſſe defenſor Eccleſiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo ſervientium, contra ſævitiam paganorum atq; hæreticorum, aliisq; ſibi inſidiantibus ſit terror & formido. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Bene ✠ dic, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per invocationem ſancti nominis tui, & per adventum Jeſu Chriſti Filii tui Domini noſtri, & per donum Sancti Spiritus Paracliti, hunc enſem: ut famulus tuus, qui eo utetur, viſibiles inimicos conculcet, victoriâque per omnia poſitus ſemper maneat illæſus. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Bene ✠ dicere digneris, quæſumus Domine, enſem iſtum, & famulum tuum, qui eum te inſpirante ſuſcipere deſiderat, pietatis tuæ cuſtodiâ munias & illæſum cuſtodias. Per Dominum noſtrum &c.

Aſpergat eum aquâ benedictâ, & tradat militi genuflexo dicens:

Accipe enſem iſtum in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti: & utaris eo ad defenſionem tuam, ac ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad confuſionem inimicorum crucis Chriſti ac fidei Chriſtianæ. Et quantum huma-

na fragilitas permanſerit, cum eo neminem injuſtè lædas. Quod tibi præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat Deus in ſecula.

Benedictio Globorum.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui in te ſperantes virtute cœleſti corroboras, & tibi diffidentes mirabili diſpoſitione confundis: majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut nos famulos tuos tuâ clementiâ & pietate ab omni adverſitate cuſtodias, & hos globos bellicos, cœleſti bene✠dictione corrobores, quos pro tui nominis gloria Eccleſiæq; tuæ utilitate & augmento in hoſtiles copias emiſſuri ſumus, quatenus ope & ſubſidio divinæ potentiæ ſuffulati hoſtes noſtros devincamus, eosq; agnoſcere faciamus, te eſſe protectorem & defenſorem noſtrum. Per Dominum &c.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

Benedictio Armorum.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit, quiq; etiam David ad expugnandum rebellem Goliam vires mirabiles tribuisti: clementiam tuam humili prece deposcimus, ut hæc arma almificà pietate bene ✠ dicere digneris. Et concede famulis tuis eadem gestare cupientibus, ut ad munimen ac defensionem sanctæ matris Ecclesiæ, pupillorum & viduarum, contra invisibilium ac visibilium hostium impugnationem ipsis liberè & victoriosè utantur. Per Christum Dominum &c.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super hæc arma, & super induentes ac portantes ea, ut eisdem ad tuendam justitiam utantur. Proinde rogamus te Domine Deus, ut illos protegas & defendas, atq; omnibus inimicis suis terribiles efficias. Qui vivis &c.

Aspergat aquâ benedictâ.

Benedictio Nominis JESU, super singula ostia affigendi.

℣. *Adjutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Benedic Domine ✠ Jesu, has Sanctissimi Nomi-

Nominis tui impreſſiones, & concede, ut ſicut in fide ſanctiſſimi Nominis tui claudum ambulare feciſti, dum dixit ei Petrus: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula: ſic creatura tua hanc S. Nominis tui impreſſionem apud ſe devotè portans, ab omni infirmitate & tentatione diabolica per tuam piiſſimam miſericordiam liberari mereatur. Et in quocunq; loco hæc tremendi Nominis tui figura fuerit affixa, ibi nullus malignus ſpiritus poſſit intrare, aut maleficia ſua ſive per ſe, ſive per alios exercere. Præſtante te Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui præ omnibus Angelis excellentius nomen hæreditaſti, & cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Oremus.

Deus, qui Sacratiſſimum Nomen dilectisſimi Filii tui D. N. Jeſu Chriſti feciſti fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu amabile, & malignis ſpiritibus tremendum atq; terribile: concede propitius, ut omnes maligni ſpiritus hanc S. Nominis tui figuram, quam ego Sacerdos tuus ad honorem tuum bene-✠dico atque ſancti ✠ fico, aſpicientes, divino terrore percuſſi fugiant procul: nec audeant appropinquare homini aut loco, in quo &

 apud

apud quem hoc benedictum Nomen JESU fuerit. Per eundem Dominum &c.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Benedictio Thalami ſeu Lecti.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Bene ✠ dic Domine Thalamum hunc, & omnes quieſcentes in eo: ut in tua pace conſiſtant, & in tua voluntate permaneant. Multiplicentur in longitudinem dierum, & ad regna cœlorum perveniant. Per Chriſtum.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, majeſtatem tuam deprecor ſuper hunc Thalamũ, quem in nomine S tuo exorcizo, purifico & bene✠dico: ut quicunq; ſuper eum ad requieſcendum decubuerint, tuam ſanctam benedictionem recipiant, & ſecurè quieſcant. Precor etiam te Domine, per Jeſum Chriſtum Filium tuum, ut nullus ſpiritus immundus, nullum phantaſma & maleficium, nulla ligatura & ſignatura, nullumq; opus diabolicum ſuper lectum & plumas has cadere queat: ſed ſtatim per tuam omnipotentiam deſtruatur, diſſipetur & annihiletur. Nam & ego Sacerdos tuus in nomine tuo omnia illa de✠ſtruo,

de✠ſtruo, ex✠tirpo & anni✠hilo, & omnes ſpiritus malignos tuorum hunc & omnes in eo quieturos violare volentes, con✠tero & diſperdo. Tu autem Domine, multiplica tuas ſanctas bene✠dictiones ſuper hunc lectum & omnes dormituros in eo, ut tibi fideliter famulentur, & nullis tentationibus à te ſeparentur. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur aqua benedictâ.

Benedictio Domus contra ignem.

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cælum.*
℣. *Sit nomen Domini benedictum.*
℟. *Ex hoc nunc & usq; in ſecula.*

Hel, Heloim, Sother, Emmanuel, Sabaoth, Agia, Tetragrammaton, Hagios, Otheos, Iſchyros, Athanatos, Jehova, Adonai, Saday, Meſſias. Increatus ✠ Pater, increatus ✠ Filius, increatus ✠ Spiritus S. Jeſus Chriſtus rex gloriæ ✠ venit in pace. Verbum caro factum eſt, ✠ Deus factus eſt homo. Chriſtus ✠ vincit. Chriſtus ✠ regnat. Chriſtus ✠ imperat. Chriſtus à flamma ignis & à percuſſione fulguris hanc domum defendat atq; cuſtodiat.

℣. *A flamma ignis, incendio ac fulgure.*
℟. *Hanc domum libera Domine.*

Oremus.

Te Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo & habitatoribus ejus ac rebus omnibus, ut eam bene✠dicere, ſancti✠ficare & per ſignum S. Crucis ✠ protegere, à flamma ignis percuſſioneque fulguris conſervare, ac bonis omnibus replere digneris. Bene ✠ dic igitur Domine, & ſancti ✠ fica domum hanc, ſicut benedixiſti domum Abraham, Iſaac & Jacob, & intra parietes ejus Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque & habitatores ejus ab incendio, fulgure & malignitate ſpectatorum ſemper cuſtodiant. Per Chriſtum &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper hanc domum & ſuper habitantes in ea, & maneat ſemper. Amen.

Aſpergatur domus & circumſtantes.

Benedictio Cellæ Vinariæ.

Antiph. Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem.

Pſalm. Beatus vir. *Repetitur Antiph.*

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

✠ Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam c. 5.

IN illo tempore dixerunt Phariſæi ad Jeſum:

ſum: Quare Diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt? Quibus ipſe ait: Nunquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare? venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt in illis diebus. Dicebat autem & ſimilitudinem ad eos: Nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpet vinum novum utres, & ipſum effundetur, & utres peribunt. Sed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraq; conſervantur. Et nemo bibens vetus ſtatim vult novum, dicit enim: Vetus melius eſt. ℟. *Laus tibi Chriſte.*

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, Statutor omnium elementorum, & creator omnium naturæ humanæ neceſſariorum: qui per Moyſen famulum tuum dixiſti: Si audieris vocem Domini Dei tui, emittit Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum. Te ſupplices deprecamur, & exauditis orationibus noſtris cellam hanc vinariam, & omnia quæ in ea continentur, pietatis tuæ aſpectu bene✠dicere digneris. Atq; ita omnium ſpirituum immundorum recedat incurſio, ut nihil ex ea

prævaricationis ille author ſibi audeat aſſumere, nec quidquam perverſi in ea machinari. Et quicunq; callam hanc vinariam intraverint, & quidquid in eam repoſitum fuerit, gratia illis tuæ bene ✠ dictionis adveniat, & mala omnia te propitiante ab eis procul recedant. Per Dominum noſtrum &c.

Oratio ſuper vinum.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum feciſti, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, & bene✠dicere atque ſancti ✠ ficare digneris hanc creaturam vini, ut quicunq; ex eo ſumpturus eſt, divinæ bene✠dictionis tuæ opulentiâ repleatur, corporisq; ſanitatem & animæ tutelam percipiat. Qui vivis &c.

Aſpergat aquâ benedictâ totam caveam.

Benedictio Horrei.

Antiph. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum: & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.

Pſalm. Benedictus Dominus Deus meus, *ut in Sabbatho ad Veſperas. Et repetitur Antiph.* Honora.

Lectio

Lectio libri Genesis c. 41.

IN diebus illis egressus est Joseph ad terram Ægypti, & circuivit omnes regiones Ægygti. Venitq; fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Tantaq; fuit abundantia tritici, ut æterne maris coæquaretur, & copia mensuram excederet. Igitur transactis septem uberatis annis, cæperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Joseh; & in universo orbe fames prævaluit. Aperuitq; Joseph universa horrea, & vendebat Ægyptis. Omnesq; provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas.

℣. Si audieris vocam Domini Dei tui, venient super te universæ benedictiones istæ. ℣. Benedictus tu in civitate, benedictus in agro. ℣. Benedictus fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum, & caulæ ovium tuarum ℣. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquæ tuæ: benedictus eris ingrediens & egrediens.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

✠ Sequentio S. Evangelii secundùm Matthæum.

In

IN illo tempore dicebat Jesus turbis: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici & abiit. Cum autem crevisset herba & fructum fecisses, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias dixerunt ei: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus & colligimus ea? Et ait illis: Non, ne fortè colligentes zizania eradicetis simul & triticum. Sinite utraq; crescere usq; ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in HORREUM meum.

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, qui ubique præsens es: majestatem tuam suppliciter exoramus, ut potentia tua huic Horreo adesse dignetur, quæ cuncta adversa ab eo repellat, & abundantiam bene ✠ dictionis tuæ ei largiter infundat. Per Christum &c.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui audienti-

bus

bus vocem tuam & implentibus mandata tua per Moysen famulum tuum promisisti benedictionem tuam, dicens: Benedicta Horrea tua, & benedictus fructus terræ tuæ: bonitatem tuam humiliter imploramus, ut horreum istud dexterâ sanctâ tuâ bene✠dicere, & ab omnibus adversis tueri digneris. Defende quæsumus Domine Horreum hoc cum omnibus rebus suis ab igne, tempestate, fulgure, ruina, & ab omnibus tribulationibus inimicorum. Ut famuli tui, qui illud benedici experierunt, de tua custodia glorientur, & benignitatem tuam sine fine collaudent. Per Dominum nostrum &c.

Aspergat totum Horreum aquâ benedictâ.

Benedictio Stabuli.

NB. *Si stabulum unà cum domo benedicatur, omittantur Litaniæ, & Psalm.* Benedictus Dominus.

Si verò solitariè benedicatur, dicantur primò Litaniæ ut suprà pag. 273. usque

Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas. Te rogamus.
Ut nobis indulgeas. Te rogamus.

Sacerdos surgens dicat:

Ut hoc stabulum bene✠dicere digneris.
Ut hoc stabulum bene✠dicere & custo✠dire digneris.

Ut hoc ſtabulum bene ✠ dicere, cuſto ✠ dire & ab omni damno præſer ✠ vare digneris.

Sacerdos genuflexus proſequatur:

Ut omnes inſidias inimici ab eo repellere digneris

Ut omne veneficium ex eo auferre digneris.

Ut nos exaudire digneris.

Fili Dei, Agnus Dei &c.

℣. *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter.*

℟. *Et propter gloriam nominis tui libera nos.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus ſolatia ſuprogaſti: te ſuppliciter exoramus, ut ſine quibus non alitur humana conditio, noſtris facias uſibus non perire. Per Chriſtum &c.

Aſpergat ſtabulum aquâ ſolemniter benedictâ.

Lectio libri Geneſis.

IN diebus illis dixit Jacob ad Laban: viginti annis fui tecum: oves tuæ & capræ ſteriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi: ego omne damnum reddebam: quidquid furto peribat à me exigebas. Die noctuq; æſtu urebar & gelu, fugiebatq; ſomnus ab oculis

meis: sicq; per viginti annos in domo tua servivi tibi. Et nisi timor Patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset mihi, forsitan modò nudum me dimisisses. Sed afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te. ℟. *Deo gratias.*

Psalm. Benedictus Dominus Deus meus, *ut in Sabbatho ad Vesperas.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos: & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere, quia natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Et ut discessit ab ea Angelus, pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usq; Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est. Et venerunt festinantes: & invenerunt Mariam & Joseph, & infantem positum in præsepio. ℟. *Laus tibi Christe.*

Oremus.

Domine Jesu Christe, Rex cœli & terræ, verbum Patris, per quod facta sunt omnia: qui ut redimeres nos à faucibus inferni, carnem nostram sumere decrevisti: & per Spiritum Sanctum in utero B. M. V. conceptus, in stabulo inter jumenta nasci, & pannis involutus in præsepio reclinari voluisti. Respice quæsumus humilitatem nostram, & exaudi supplicationem nostram. Et sicut nostris laboribus atq; necessitatibus per jumenta subvenimentum tribuisti; ita tuâ benignissimâ misericordiâ hoc stabulum & pecora bene ✠ dicere & custodire digneris, ut nulla malitia dæmonum aut iniquorum hominum in eo possit perdurare: sed virtute benedi ✠ ctionis hujus Sacerdotalis conteratur & procul effugetur. Qui vivis &c.

Si stabulum sit infestum, addantur 2. seqq. Exorcismi.

Exorcismus.

Exorcizo te dæmon maledicte, immunde & maligne spiritus, quicunq; stabulum istud & animalia ista, utpote Dei vivi ac veri creaturas, affligere & vexare præsumis: & adjuro te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, ut exeas & recedas ex hoc loco seu stabulo, nec unquam huc reverti præsumas. Neque hîc aut alibi existen-

existentibus jumentis damnum aut pavorem immittas: aut quodcunq; maleficium in detrimentum vitæ, sanitatis & utilitatis illorum inferas. Per eum, qui te in patibulo crucis vicit, arma, in quibus confidebas, abstulit, spoliaq; districuit. Quiq; statuto tempore venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen. n 3

Aspergat stabulum aquâ benedictâ.

Iterum adjuro vos, ô maligni spiritus, per creatorem cœli & terræ: per incarnationem D. N. Jesu Christi, ejusq; circumcisionem, baptismum & jejunium: per crucem, clavos & lanceam: per passionem, mortem & sepulturam: per resurrectionem, ascensionem & futurum judicium. Per gloriosam V. Mariam omniumq; SS. merita & intercessionem; ut nunquam amplius habeatis accessum ad hoc stabulum, in detrimentum hominum, animalium, aut quarumcunq; rerum humanæ utilitati à Deo intuldarum. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ S. Amen

Aspergat stabulum.

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, rerum omnium creator & conservator, defende

nos & pecora ista: defende dona tua, defende familiam tuam, defende & bene✠dic hoc stabulum per virtutem aquæ, à te ministerio Ecclesiæ tuæ benedictæ: & per invocationem Sacratissimæ Trinitatis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti sanctificatæ. (*Aspergatur aquâ benedictâ.*) Exterminetur Diabolus & omnia maleficia ejus à loco isto, & à terminis fidelium te invocantium, per virtutem S. Nominis tui, & per merita omnium SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumq; Sanctorum. Nosque & pecora hæc ab omni malo præservare, custodire & liberare digneris. Per Dn. nostrum &c.

Si pecora sint præsentia, addat quæ seqbuntur. Si non sint præsentia, claudat benedictionem dicendo:

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super hoc stabulum, & maneat semper. Amen

Benedictio Animalium.

Quando morbus grassatur inter pecora, consultum est, (id quod quidam Sacerdotes non sine fructu practicârunt) ut Sacerdos benedicat aquam solemnem. ut suprà pag. 215. & pecora in campo congregata benedicat hoc modo:

Primò dicantur Litaniæ ut suprà p. 273. usque

Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut nos parcas. Te rogamus.
Ut nobis indulgeas. Te rogamus.

Sacer-

Sacerdos solus surgens dicat:

Ut hæc pecora bene✠dicere digneris.

Ut hæc pecora bene ✠ dicere & custo✠dire digneris.

Ut hæc pecora bene✠dicere, custo✠dire & ab omni morbo ✠ liberare digneris.

Sacerdos genuflexus prosequatur.

Ut ea ab omni contagione præservare digneris.

Ut omne nocumentum ab eis auferre digneris.

Ut nos exaudire digneris. *&c. usque ad finem.*

Pater noster &c.

℣. *Domine exaudi orationem.* ℞. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℞. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus omnipotens, Pater D. N. Jesu Christi, cujus verbo cœli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, cujus potestati omnia subjecta suut. Cujus audito nomine serpentes conquiescunt, dracones fugiunt, viperæ silent, scorpiones extingvuntur, reguli vincuntur, vinenata non nocent, cunctaq; ferocia animalia terrentur. Tu ab his pecoribus omnes Diaboli fraudes repelle, ferarum incursus amove, venena rescinde: eaq; ab omnibus infirmitatibus, adversitatibus & periclis libera. Dignare Domine per nomen sanctum dilectissimi Filii tui, & per intercessionem B.

Mariæ Matris ejus, perque merita omnium SS. tuorum hæc pecora conſervare, bene-✠dicere, & ab omni morbo liberare. Salvifica pabulum, arce dæmonium, tribue fœcunditatem, & tuâ efficaciſſimâ bene ✠ dictione reple omnia, quæ uſui horum pecorum adaptantur, & adaptanda erunt. Per eundem

Si benedictio Animalium fiat ſine benedictione ſtabuli, tunc hic legantur Lectio, Pſalmus, Evangelium & Oratio ſuprà in benedictione ſtabuli poſita.

Si animalia ſint infecta, addatur ſequens Oratio:

Oremus.

Miſericordiam tuam Domine ſupplices exoramus, ut hæc animalia, quæ perculoſa contagione infecta ſunt, in nomine tuo, & in virtute bene ✠ dictionis tuæ ſanentur. Extinguatur in eis omnis diabolica poteſtas, nec ulterius ad damnum famulorum tuorum ægrotent: tu eis Domine ſis defenſaculum vitæ & remedium ſanitatis, ut tibi à famulis tuis digna reddatur gratiarum actio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Hic benedicatur ſal:

Oremus.

Deus inviſibilis & inæſtimabilis, pietatem tuam per ſanctum ac tremendum nomen Filii tui ſuppliciter deprecamur, ut in hanc creaturam ſalis bene ✠ dictionem & potentiam inviſibilis operationis tuæ infundas. Ut animalia,

malia, quæ ex eo acceperint vel guſtaverint, bene ✠ dictio & protectio tua ab omni ægritudinis & læſionis incurſu cuſtodiat. Per eundem Chriſtum &c.

Oremus.

Domine S. Pater, omnipotens æterne Deus, defende quæſumus iſta animalia per hanc creaturam ſalis, quam in nomine tuo bene-✠dico, & hiſce pecoribus tradi facio. Defende ea quæſumus piiſſime Deus, à rapacibus beſtiis & latronibus, à ſcabie, morbo, peſte & contagione, à malitia & invidia pravorum hominum: à veneficiis, ſagis & ſtrygis, à dæmonibus, incantationibus & immundis ſpiritibus: & demum ab omnibus malis, quæ iis naturaliter vel prænaturaliter accidere poſſunt. Et quæcunq; morbis vexantur, per virtutem hujus bene✠dicti ſalis, & per invocationem ſancti tui nominis ſanare digneris. Per Chriſtum &c.

Aſpergat ſal & pecora aquâ benedictâ, & detur eis ſal ad ſumendum.

Contra maleficia Lactis.

Quando lac vel butyrum per incantationes inviſibiliter auferuntur, vel alium innaturalem defectum patiuntur, congruum eſt, ut Sacerdos priùs benedicat ſtabulum, vel ſaltem pecora: deinde lac vel butyrum defectuoſum coram ſe poſitum exorcizet hoc modo:

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdo-

credoribus tuis tantam gratiam conferre dignatus es, ut quidquid in tuo nomine dignè ab iis agitur, à te fieri credatur: quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quidquid modò viſitaturi ſumus, viſites: quidquid benedicturi, bene ✠ dicas. Et ad noſtrum humilitatis introitum, omnium SS. tuorum meritis fugentur dæmones ab hac domo, & ab his creaturis tuis, ad hominum uſum à te deſtinatis tollantur omnes faſcinationes malignorum hominum. Angelus pacis & ſalutis eos compeſcat, & cum omnibus maleficiis ſuis diſcedere compellat. Per Chriſtum.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui inter cætera clementiæ tuæ dona lactis ſubſtantiam hominibus ad uſus vitæ mortalis largiri dignatus es: te ſuppliciter deprecamur, ut lactis hujus ſubſtantiam bene✠dicere digneris, quatenus ſervis tuis feliciter & copiosè proveniat Et quisquis illo ad alimentum ſuum, vel ad aliam hujus vitæ commoditatem uti voluerit, gratiam benedictionemq; tuam ſibi gaudeat adfuiſſe.

Deus, qui exabundantiam pietatis tuæ fideles tuos ad comedendum pinguia invitare dignatus es: quiq; inter alias creaturas pinguedinis participes butyro tantam dignitatem

tem tribuisti, ut non modò hominibus, sed etiam unigenito Filio tuo incarnato in cibum & alimentum servire volueris, dicente Propheta: Butyrum & mel comedet. Immensam clementiam tuam humiliter imploramus, ut à substantia butyri hujus vim omnem fraudemq; virulenti hostis benignus avertas. Nihil hic nocumenti, nihil mortiferæ corruptionis inferre præsumat: sed quod fidelibus tuis ad humanæ indigentiæ remedium contulisti, integrum illis ac incorruptum servetur, ut cum digna gratiarum actione sumentes vitæ suæ & sanitati prodesse sentiant ac lætentur. Per Dominum &c.

Exorcismus Lactis.

Exorcizo te creatura Lactis in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis: & in nomine Jesu ✠ Christi Filii ejus: & in virtute Spiritus ✠ Sancti: ut fias lac exorcizatum in salutem fidelium, & sis omnibus ex te sumentibus sanitas animæ & corporis: & effugiat atq; discedat à te omnis nequitia & versutia diabolicæ fraudis, omnisq; nocendi facultas in te omni modo per ministros Satanicos introducta. Exorcizo te per illum, qui SS. Patribus Abraham, Isaac & Jacob terram lacte & melle manantem repromisit, & posteris eorum fideliter tradidit possidendam: ne e

dem Dei & Domini noſtri fidelibus ſervis ſis cujuscunq; mali occaſio, Per dum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Exorciſmus Butyri.

Exorcizo te creatura Butyri per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ ſanctum. Per Deum, qui hominibus ab initio pro ſua bonitate ad uſus vitæ hujus corruptibilis butyrum de armento dedit, & lac de ovibus. Ut nihil in te loci habeat adverſariæ cujuscunq; virtutis operatio, nihil in te poteſtatis malitia Satanæ, nihil ars damnata quorumvis utriusq; ſexus illi impia ſocietate adhærentium: ne quovis modo ſubſtantiam tuam minuant vel corrumpant, vel quacunq; ratione hominibus noxiam reddant. Præſtante illo & ſervante, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Exorciſmus Diaboli.

Adjuro te quicunque es quietis humanæ perturbator, per Pa ✠ trem, & Fi ✠ lium & Spiritum ✠ S. ut nocere deſinas huic domui, neq; audeas malefacere omnibus quæ in ea ſunt: frumento, vino, oleo, lacti, butyro,

caſeis,

caſeis, pecoribus, cæteriſq; omnibus ad eam pertinentibus. Hoc tibi imperat Dominus Jeſus ✠ Chriſtus per omnia myſteria Vitæ, Paſſionis & Glorificationis ſuæ: nec non per merita omnium Sanctorum & Sanctarum ſuarum: Quibus hæc domus, & omnia eam contingentia cum omnibus habitantibus in ea ſit in protectione & cuſtodia contra omnes inſidias tuas.

Exorcizo te immunde ſpiritus, qui ad turbandam Chriſtianorum quietem, & ad injurias in bonis temporalibus inferendas, hominibus tua fraude deceptis auxilium præbes, per Judicem vivorum & mortuorum, ut ab hac domo & familia, omnibusq; ad eam pertinentibus recedas, nec quidquam eorum, quæ ad illam ſpectant, attingere vel auferre præſumas. Exorcizo te per æternam Dei juſtitiam, quâ ſuum cuiq; dandum ſtatuitur, ut omnibus promiſſionibus, pactis, artibus, ſignisque, quibus & quaſi aſtrictum & obligatum ſimulas, diſſipatis, divinæ ſeveritatis in te exercendæ formidine, omnia quæ hujus familiæ ſunt, ſalva & intacta dimittas. Recede ergo hinc divinæ legis transgreſſor, hominumq; perturbator: & Angelis Sanctis, quorum tutelæ familia iſta commiſſa eſt, te propellentibus, fuge: nec eam in ſua quiete

ac bonis lædere aut ulterius moleſtare attentes. Invocato contra tuam malitiam nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. Amen.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Initium S. Evangelii ſecundùm Joannem.

In principio erat Verbum &c. *ut ſuprà pag.* 119.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ad ſervandam inter homines pacem, furtum facere ad rem proximi concupiſcere prohibuiſti: obſecramus clementiam tuam, ut omnes, qui quod injuſtè concupiſcunt, dæmonis adjutorio proximis ſuis auferre nituntur, dexteræ tuæ virtute coerceas, & hiſce famulis tuis, qui conceſſis à te vitæ ſuæ ſubſidiis ad honorem tuum frui deſiderant, Sanctorum Angelorum concede præſidium, qui dæmonum poteſtate repreſſa, maleficos injuſtorum hominum conatus, quos eorum adjumento perficiendos exiſtimant, irritos reddant & fruſtraneos. Per Dominum noſtrum &c.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper hanc

hanc domum, & super omnia quæ in ea continentur, & maneat semper. Amen.

Aspergantur omnes aquâ.

Benedictio Agrorum.

Hæc Benedictio optimè fieri poterit, quando processionaliter itur circum oppida, vel circum agros & vineas (uti in pluribus locis omni anno laudabiliter fieri solet) faciendo quatuor Stationes. Et ubi mos ille non est, introducatur, quia est valde pium & utile, omni anno benedicere agros & vineas.

Sacerdos igitur sub processione agros benedicturus, habeat juxta se crucem & aquam, jam ante solemniter benedictam.

Ad primam Stationem.

Dum Processio ad primum locum substiterit; Sacerdos cum Clericis cantet, vel altâ & tardâ voce dicat Psalmum.

Benedixisti Domine terram tuam, *ut in officio B. Virg. ad Primam.*

℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

℟. *Et salutare tuum da nobis.*

℣. *Dominus dabit benignitatem.*

℟. *Et terra nostra dabit fructum suum,*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater misericordiæ, aspice quæsumus nostram quotidianam indigentiam, & messem sufficientem victui nostro benigniter elargire. Magnifica super nos nomen sanctum tuum, & super agros, vineas & hortos nostros copiosissi-

mam tuam bene✠dictionem effunde: ut cuncti labores famulorum tuorum, arboresq; & plantationes nostræ plenè fructificent. Averte piissime Deus à finibus nostris noxia sidera, frigora, tempestates, grandines, imbres, aquarum alluviones, & quidquid mali humanis subsidiis poterit nocere. Per Dn. &c.

In cantu dicat:

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore abiit Jesus per sata Sabbatho: Discipuli autem ejus esurientes cæperunt vellere spicas & manducare. Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbathis. At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David quando esuriit, & qui cum eo erant. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant: nisi solis Sacerdotibus. Aut non legistis in lege, quia Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt. Dico autem vobis, quia templo major est hic. Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Dominus

minus enim est Filius hominis etiam Sabbathi. Oremus. *In cantu.*

Pietatem tuam quæsumus omnipotens Deus, ut has fruges, quas aëris & pluviæ temperamento nutrite dignatus es, bene-✠dictionis tua imbre perfundas. Tribue Domine populo tuo de tuis muneribus tibi semper rependere gratias: & à sterilitate terræ esurientium animas averte, ut pauper & inops, dives & potens laudent nomen gloriæ tuæ. Per Dominum &c.

CONJURATIO *dicatur sine cantu.*

Conjuro vos aëreas tempestates per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, ut non jactetis grandines in possessiones & vineas nostras. Ego enim Sacerdos Dei, quamvis indignus, præcipio vobis & omnibus dæmonibus, atque malignis hominibus, in nomine Sanctissime Trinitatis, Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, ne noceatis possessionibus & agris nostris: sed projiciatis grandines & tempestates vestras in loca deserta, vel immergatis in mare, sine damno alicujus personæ vel jumenti. Et hoc præcipio vobis per tremendum tribunal Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

BENE-

BENEDICTIO *dicatur ſine cantu.*

Bene✠dicat nos Deus, Deus ✠ noſter, bene✠dicat nos Deus: & terræ noſtræ ubertatem concedat. In centuplum creſcere faciat fructus ejus, ut venientes in exultatione manipulos noſtros cum gratiatum actione colligamus. Per Chriſtum &c.

Aſpergatur illa pars camporum aquâ benedictâ.

Ad ſecundam Stationem.

Pſalm. In convertendo *ut Fer. 3. ad Veſp.*

℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.*

℟. *Dominus dabit benignitatem &c.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te ſupplices deprecamur, ut miſericordiâ tuâ annuente concedas nobis meſſium copiam, fructuum agrorumq; largitatem, vinearum ſubſtantiam, arborum fœtus, proventusq; omnium rerum. Et ab his omnibus peſtiferum ſidus tempeſtatum, frigora & grandines amovere digneris. Per Dn. &c.

In cantu dicitur ℣. Dominus vobiſcum.

✠ Sequentia S. Evangelii ſecundùm Marcum.

In

IN illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Simile est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram & dormiat, & exurgat nocte & die: & semen germinet & increscat, dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Et dicebat: Simile est regnum cœlorum grano synapis, quod cum seminatum fuerit in terra, ascendit, & fit majus omnibus oleribus: & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cœli habitare.

Oremus.

Multiplica quæsumus Domine, super nos misericordiam tuam: & super has fruges nostras veniat desideratæ bene ✠ dictionis ubertas: ut repleti necessariis subsidiis nomen sanctum gloriæ tuæ semper exaltemus. Per Dominum nostrum &c.

CONJURATIO *dicitur alta voce sine cantu.*

Conjuro vos nubes & grandines, ac præcipio vobis per Deum ✠ Patrem, per Deum ✠ Filium, per Deum Spiritum ✠ Sanctum. Nec non & per sacram humanitatem D. N. Jesu Christi, per gloriosa merita Beatissimæ V. Mariæ, per excelsas virtutes omnium Aposto-

postolorum, per terribiles passiones omnium Murtyrum, per sacratissimam vitam omnium Confessorum, per purissimam castimoniam omnium Virginum, & per summam perfectionem omnium Sanctorum. Similiter præcipio vobis per imperiale verbum, quod fecit Christus ventis ut cessarent: per sacram obumbrationem, quam fecit Spiritus S. in utero Virginis Mariæ: per mirabilem divisionem, quam fecit potentia divina in mari rubro: & per virtutem crucis Christi, cujus signum ✠ contra vos, facio. Per hæc omnia conjuro vos, ô nubes & dæmones, ut non mittatis grandines, procellas & tempestates in agros, vineas & possessiones nostras, quas ego Sacerdos Dei bene ✠ dico, & signo sanctæ Cru✠cis communio: In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ S. Am.

BENEDICTIO.

Bene ✠ dic Domine terram istam, ut det fructum bonum in tempore suo: nullusque spiritus procellarum possit eam turbare, super quam invocatum est nomen sanctum tuum: & bene✠dictio Sacratissimæ Trinitatis omniumque Sanctorum & Sanctarum Dei. Amen.

Aspergantur campi aquâ benedictâ,

Ad tertiam Stationem.

Psalm. Laudate Dominum quoniam bonus est, *ut in vesperis Sabbathi Dicatur cum cantu.*
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℣. Dominus dabit benignitatem &c.
℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, mitte Sanctum Angelum tuum de cœlis, ut defendat segetes, fruges & fructus nostros ab imbribus nubium, à fulguribus tempestatum, à nocumento avium, à corrosione murium, ab infectione vermium, & ab omnibus infestationibus dæmonum. Conservet passiones nostras custodiâ suâ sanctâ, & sit murus igneus in circuitu earum. Bene ✠ dictione sua Angelica bene ✠ dicat & multi ✠ plicet proventus nostros, ut nomen sanctum tuum externaliter benedicamus Qui vivis &c.

Dominus vobiscum *dicitur in cantu.*

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore, cum turba plurima conveniret ad Jesum, & de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum. Et dum semi-

ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt: & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Et hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui molem mundi ex nihilo pendentem gubernas, & ad victum humani generis agros excoli mandas: miſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut quidquid in hos agros & hortos ſalubris ſeminis ſatum atq; plantatum eſt, aſpectu tuæ clementiæ reſpicias, & aëris temperiem moderatam tribuere digneris. Atq; abſorpto omnium tribulorum ſpinarumque ſqualore fruges fœcundas efficias, & ad temporis opportunitatem perfectè matureſcere tribuas. Ut nos famuli tui, uberibus donis tuis refecti, in tuas condignas laudes perpetuò erumpere valeamus. Per Dominum &c.

CONJURATIO *dicitur alta voce ſine cantu.*

Conjuro vos procellas & ventos, per clavos & lanceam, quæ manus, pedes & pectus Chriſti perforarunt, & ex his ſacris vulneri-

bus

bus copiosissimum sanguinis & aquæ imbrem emanare fecerunt: ut nunquam noceatis his agatis, vineis, hortis, arboribus, pratis, campis, sylvis, nec cuicunq; rei ad hominum usus necessariæ & utiles. Similiter conjuro vos dæmones, ego Sacerdos Dei, quamvis indignus, authoritate Sacerdotali quâ fungor: & præcipio vobis in nomine D. N. Jesu Christi, & in virtute passionis ejus, ut non habeatis potestatem in nubibus cœli: nec mittendi grandines, nec excitandi fulgura, nec procuranda tonitrua, nec efficiendi quæcunq; mala: sive per vos ipsos, sive per socios vestros, sive per veneficos aut sagas. Hoc præceptum sit vobis sub pœna gehennæ, & detrusionis in stagnum ignis & sulphuris. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spir. ✠ S. A.

BENEDICTIO.

Benedicat vos fruges Deus ✠ Pater: benedicat vos Deus ✠ Filius: benedicat vos Deus ✠ Spiritus S. crescite & multiplicamini, & replete horrea & cellas nostras, in honorem Dei omnipotentis & omnium Sanctorum. Amen.

Aspergatur illa pars camporum aquâ benedictâ.

Ad quartam Stationem.

Psalm. Lauda Jerusalem. *dicitur in cantu.*

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℣. Dominus dabit benignitatem &c.
℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Creator universorum Deus, qui Moysi famulo tuo dixisti: Dic Filiis Israël, cum ingressi fueritis terram, quam Dominus Deus daturus est tibi, primitias frugum tuarum offeres Sacerdoti, & ipse elevabit eas coram Domino: rogamus immensam clementiam tuam, ut has fruges, botros, segetes, olera, legumina & harbas bene ✠ dicere, conservare, & ad maturitatem perducere digneris. Ut primitias illarum tibi tuisq; Sacerdotibus, & pauperibus terræ elargiri, & alimenta nobis & pecoribus nostris necessaria exinde haurire valeamus. Per Dominum &c.

Dominus vobiscum *dicitur cantando.*

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Joannem.

IN illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Nonne vos dicitis, quò adhuc quatuor menses sunt, & messis venit. Ecce dico vobis, levate oculos vestros, & videte regiones, quia jam albæ sunt ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fru-

ctum in vitam æternam. Ut & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit. In hoc enim eſt verbum verum, quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit. Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.

Oremus.

Domine Sancte Pater, qui cœlum & terram creaſti, & indeſinentur tuâ providentiâ gubernaſti & conſervaſti: ſuppliciter te rogamus ab petimus, ut tua incomparabili bonitate hos agros, vineus, arbores, ſegetes & ſylvas bene✠dicere, eisq; fertilitatem tribuere digneris: quatenus nos famuli & famulæ tuæ ad ſuſtentationem ac ſolamen corporum, & ad ſpiritualem refectionem animarum exinde vivere, tibique fideliteo ſervire valeamus. Per Dominum &c.

CONJURATIO.

Conjuro vos dæmones, ego peccator & Chriſti Sacerdos indignus, authoritate & virtute ejusdem D. N. Jeſu Chriſti, ſummi Regis & Imperatoris noſtri, non meâ potentiâ innuxus aut confiſus. Adjuro vos, inquam, & præcipio vobis maligniſſimis ſpiritibus, per tremendum ultimæ diei judicium, & per virtutem ſanctæ Cru✠cis, quam contra vos facio: & per merita intemeratæ Vir-

ginis Mariæ, quæ caput antiqui serpentis contrivit: & per excelsas virtutes omnium Sanctorum, qui vos gloriosè devicerunt; ut non audeatis ullas noxias nebulas, aut nocivos ventos, aut siccitates damnosas, aut sterilitates malignos in hac tota mundi parte, quousq; visus meus se extendit, excitare. Alioquin infundo vobis omnes maledictiones & plagas infernales, Deo imperante, Michaele Archangelo exequente. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Aspergatur illa pars camporum aquâ benedictâ, & revertendo cantetur; Benedictus Dominus Deus Israël.

Benedictio Vinearum.

Hæc Benedictio commodè & utiliter fieri poterit in Processione aliqua solemne, quotannis in Majo vel Junio instituendâ: quia benedictio Sacerdotalis & preces Ecclesiæ multum valent apud Deum, ad avertenda mala, & impetranda bona.

Cum igitur in Processione illa ventum fuerit ad locum, ubi vinea videri poterunt, Sacerdos stans versus illas cum choro alternatim cantet sequentem Psalmum:

QUi regis Israël intende: qui deducis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Cherubim: manifestare coram Ephraim, Banjamin & Manasse.

Excita potentiam tuam & veni: ut salvos facias nos.

Deus virtutum converte nos; & ostende faciem tuam & salvi erimus. Vine-

Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes & plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu ejus: plantasti radices ejus, & implevit terram.

Operuit montes umbra ejus: & arbusta ejus cedros Dei.

Extendit palmites suos usq; ad mare: & usq; ad flumen propagines ejus.

Ut quid destruxisti maceriam ejus: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.

Exterminavit eam aper de silva. & singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum convertere: respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam.

Et persice eam quam plantavit dextera tua: & super filium hominis, quem confirmasti tibi. Gloria Patri &c.

Oremus. *In cantu.*

Deus, qui vineam tuam ex Ægypto eductam mirabiliter plantasti, preces nostras benignus exaudi, ut in vineas famulorum tuorum bene ✠ dictio cœlestis copiosa descendat, & quod in iis ad usum humani generis tribuere dignatus es, conservare, multiplicare & ad maturitatem perducere digneris. Respice de cœlo & vide, & visita vineas istas, & rorem tuæ divinæ bene✠dictionis copio-

ſum eis infunde. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Amen.

Aſpergatur aquâ ſeu emittitur benedictâ.

Lectio Ezechielis Prophetæ c. 17.

ET factum eſt verbum Domini ad me dicens: Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam ad domum Iſraël, & dices: Hæc dicit Dominus: Cum germinaſſet ſemen, crevit in vineam latiorem, reſpicientibus ramis ejus ad eam: & radices ejus ſub illa erant. Facta eſt ergo vinea, & fructificavit in palmites & emiſit propagines. Et ecce vinea altera quaſi mittens radices ſuas ad eam, palmites ſuos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis ſui. In terra bona ſuper aquas multas plantata eſt, ut faciat frondes, & propter fructum, ut ſit in vineam grandem: dicit Dominus omnipotens.

℟. *Deo Gratias.*

℣. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ ſuæ.

Vinea facta eſt dilecto meo: in cornu filio olei.

Et ſepivit eam, & lapides elegit ex illa: & plandavit eam electam.

Et ædificavit turrim in medio ejus: & torcular extruxit in ea.

Quid

Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ: judicate inter me & vineam meam.

℣. *Dominus vobiscum.* ℞. *Et cum Spiritu tuo.*

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit dabo vobis: illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextem & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam verò exiit, & invenit alios stantes & dicit illis: Quid hîc statis tota die otiosi? Dicunt ei: quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cum serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios & redde illis mercedem, incipiens à novissimis usq; ad primos. ℞. *Laus tibi Christe.*

Conjuro vos aëreas tempestates &c. *ut suprà pag. 349.*

Aspergat contra vineas aquam benedictam.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut ſuper has vineas noſtras veniat ſperatæ bene ✠ dictionis ubertas. Et has uvas, quas apparere feciſti à grandinibus præſervare, atq; ad maturitatem ferilitatis perducere digneris. Per Dominum &c.

Conjuro vos nubes & grandines &c. *ut ſuprà pag.* 351.

Aſpergantur vineæ aquâ benedictâ.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, qui creaſti vinum ad honorem tuum, & ad utilitatem humani generis, ut tibi in ſacrificio offerretur, & à nobis ſumptum lætificet cor hominis: immenſam clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut mittas Sanctos Angelos tuos de cœlis, qui has vineas noſtras ab omni nocumento defendant, & Angelica ſua bene✠dictione fertiles reddant. Qui vivis & regnas &c.

Conjuro vos procellas & ventos &c. *ut ſuprà pag.* 354.

Aſpergantur vineæ aquâ benedictâ.

Oremus.

Creator omnium Deus, qui Noë famulo tuo dediſti vineam plantare, & de fructu ejus ſumere: ad ſupplicationes noſtras placatus intende, & has vineas noſtras, quas in

ſudore

ſudore vultus noſtri ad ſuſtentationem noſtram colimus, tuâ clementiâ bene ✠ dicere & fructum in tempore ſuo facere jubere digneris: qui ad uſus noſtros proveniens, ad magnificandam bonitatem tuam nos jugiter inducat. Per Cominum &c.

Conjuro vos dæmones &c. *ut ſuprà p. 357. Et ibidem conſequenter pergat usq; ad finem.*

De Præparatione Sacerdotis ante Exorciſmum.

Antequam Sacerdos incipiat hoc officium exorcizandi grandines ſeu tempeſtates, à dæmonibus ſive à quavis aliquo diabolico miniſtro excitatas; primam illam præparationem adhibere debet, ut fideliter firmiterque credat myſteria SS. Trinitatis, & Jeſu Chriſti, & omnia illa, quæ Catholica Eccleſia credenda proponit. Altera etiam præparatio, maximè neceſſaria illa eſt, ut à ſeipſo diligenter quærat, num ſit aliquo crimine obſtrictus, cujus eum pœnitere neceſſe ſit, ne fortè eregens deſtruere atque fugare tempeſtatem aëreasq; ac diabolicas poteſtates, tempeſtatem ipſam pariter atque indignationem Dei contaminatus ſuper nos inducat. Scrutetur igitur conſcientiam ſuam diligenter, ne in aliquo ſit mortali peccato, ut prius contritionis, & ſi Sacerdotis facultas data ſit, confeſſionis medicamento illud eluadur: quamvis enim Sacerdos, poteſtate Sacerdotali, licet indignus exorcizet in perſona Eccleſiæ, ipſe tamen Exorciſmus eſt efficacior, cum ipſe Sacerdos mundus eſt à peccato: ille enim vim habet, & efficaciam ex parte Eccleſiæ, & ipſius Sacerdotis, qui amicus Dei factus, facilius ab eo in ſua ipſius precatione exauditur. Hoc igitur optimè affecto, & præparatia animo Sacerdos fide vivâ incenſus & potentia Dei fretus, cujus virtute tempeſtates fugantur, & attentè infrà ſcriptos Exorciſmos aggrediatur.

Exorciſmus contra Tempeſtates.

Sacerdos ſtolâ violaceâ indutus aſſumptâ cruce & aquâ ſolemniter benedictâ, ſi ad manum habeat, ſtans & ſe ſignans cruce dicat:

In

In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spir. S.

Per ſignum crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, qui increpaſti ventos & mare, & facta eſt tranquillitas magna: quiq; ſanctiſſimas manus & brachia tua ad ſanctificandum aërem in cruce extendiſti, obſecramus immenſam pietatis tuæ abundantiam, ut has nubes diſſolvere, & tempeſtatem annihilare digneris: quatenus alligata poteſtas dæmonum impiè ſævientium deficiat, & ad laudem tui ſanctiſſimi nominis annihiletur. Qui vivis & regnas &c.

Signet nubes ſigno Crucis dicens:

Circumdet vos nubes Deus ✠ Pater. Circumdet vos Deus ✠ Filius. Circumdet vos Deus ✠ Spiritus S. Diſſipet vos nubes Deus ✠ Pater. Diſſipet vos Deus ✠ Filius. Diſſipet vos Deus ✠ Spiritus S. Deſtruat vos nubes Deus ✠ Pater. Deſtruat vos Deus ✠ Filius. Deſtruat vos Deus ✠ Spiritus S.

Sanctus Matthæus, S. Marcus, S. Lucas, S. Joannes Evangeliſta, qui Chriſti Evangelium per quatuor mundi partes divulgarunt: ipſi ſuis meritis & precibus hanc tempeſtatem à terminis noſtris & ab omnibus Chriſtianorum finibus removeant, & ab eodem

dem Domino nostro Jesu Christo removeri obtineant. Amen.

Aspergat aquam benedictam in modum crucis per 4. latera, ad singula dicens:

Per aspersionem sanguinis D.N. Jesu Christi, & per virtutem hujus benedictæ aquæ, dispergat Dominus has procellas, & liberet nos ab omni periculo: In nomine Patris &c.

Lectio libri Apocal. B. Joann. Apost.

POst hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angelos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neq; in ullam arborem. Et vidi alterum Angelum descendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei vivi, & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari dicens: Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quoad usq; signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

℟. *Deo gratias.*

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Marcum c. 4.

IN illo tempore facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. Et erat Jesus in puppi super cervical dormiens. Et excitant eum & dicunt illi: Magister non ad te pertinet quia peri-

perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi estis, nec dum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia & ventus & mare obediunt ei.

Per Evangelica dicta destruantur omnia diabolica facta.

Iterum aspergat aquam benedictam in aëra: deinde dicat sequentes tres Conjurationes, & post singulas aspergat aquam benedictam.

Conjuro vos aëreas tempestates p. 349.

Conjuro vos nubes & grandines p. 351.

Conjuro vos procellas & ventos p 354.

Hic elevet crucem in aëra dicens:

Ecce lignum sanctissimæ crucis, in quo salus mundi pependit, & vos Diabolos sua potestate devicit. Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ: vicit Leo de tribu Juda, Radix David. Alleluja.

Et ego Sacerdos & minister Christi, licet indignus, authoritate & virtute ejusdem D. N. Jesu Christi præcipio vobis, nequissimi spiritus, qui has nubes & tempestates concitatis, ut exeatis ex eis, & eas dispergatis in locis incultis, ubi non possint nocere hominibus, aut quibuscunque rebus humanis usibus deputatis. Audite ergo vocem meam, audite

audite imperium: non enim ego, ſed ille imperat vobis, de quo de nube lucida dixit Pater: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ille vobis imperat, qui ſua ſacratiſſima cruce aërem purgavit. Ille vobis imperat, qui per mortem ſuam principem veſtrum devicit. Ipſe vobis imperat, qui inferno ſpoliato ſurrexit à mortuis, & nube lucida ſuſceptus aſcendit ad cœlos.

Hic legitur Evangel. S. Joannis : In principio &c. *ut ſuprà p. 119. & iterum aſpergitur aquâ benedictâ in aërem.*

Exorciſmus contra Ignem.

Sacerdos ex charitate ſubventurus hominibus damnum ex incendio patientibus, erigat fiduciam in Deum, & ſequentes preces, ſi non publicè, ſaltem privatim ſine ſtola & aqua benedicta, cum omni devotione, ſtans verſus ignem formando cruces contra eum pronuntiet.

Si autem publicè eaſdem dicere voluerit, ſit indutus ſtolâ violaceâ, curet præferri Crucem, habeatque aquam ſolemniter benedictam ad manum. Sin minus, aſpergat aquam communiter benedictam contra flammam ter dicens :

In nomine Patris & Filii & Spir. S. Am.

Signando ſe ipſum dicat :

℣. *Adjutorium noſtrum.* ℟. *Qui fecit cœlum.*
℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam conferre dignatus es, ut quidquid in tuo nomine dignè perfectèque ab eis agitur, à te fieri

fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut per virtutem Divinitatis & omnipotentiæ tuæ, & per virtutem bene✠dictionis Sacerdotalis hunc noxium ignem extinguere, & plebem tuam ab imminenti damno liberare digneris. Per Christum Dn.

Aspergat iterum aquam contra ignem. Deinde exorcizet eum dicens:

Exorcizo te creatura ignis in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis. Et in nomine Jesu ✠ Christi Filii ejus Domini nostri. Et in virtute Spiritus ✠ Sancti, ut extinguaris & dissiperis & ad nihilum reducaris. Audi ergo ignis adjuratus per nomen Domini nostri Jesu Christi, & protinus recede de loco isto: & non præsumas ultra nocere homini, aut jumento, aut cuicunq; rei ad usus hominum procreatæ. Nam ego Sacerdos Dei, licet indignus, in virtute ordinis Sacerdotalis præcipio tibi, ut quantocius pro gloria Dei & Sanctorum ejus vim tuam amittas, & in temetipso consumaris. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Iterum aspergat aquam. Deinde dicat:

Extinguat te ignis Deus ✠ Pater. Extinguat te Deus ✠ Filius. Extinguat te Deus Spiritus ✠ Sanctus. Destruat te ignis Deus ✠ Pater.

✠ Pater. Destruat te Deus ✠ Filius. Destruat te Deus ✠ Spiritus Sanctus. Annihilet te ignis Deus ✠ Pater. Annihilet te Deus ✠ Filius. Annihilet te Deus ✠ Spiritus S. Am.

Iterum aspergat & dicat:

Sanctus Matthæus, S Marcus, S. Lucas & S. Joannes, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgarunt, ipsi suis meritis & precibus hunc ignem à termino isto & ab omnibus Christianorum finibus in quatuor mundi partes sine damno fidelium ab eodem Domino nostro Jesu Christo removeri & expelli obtineant.

Et ego Christi Sacerdos & minister, licet peccator maximus & abominandus, non meis meritis & potentiæ innixus, sed meritis & potentiæ Domini nostri Jesu Christi confisus, præcipio vobis immundissimi spiritus, si forte per vos ipsos, seu per vestros ministros, aut quocunq; modo hunc ignem excitastis, ut eundem protinus extinguatis & ad nihilum redigatis. Et hoc ipsum præcipio vobis per ejusdem D. N. Jesu Christi sanctissimam Incarnationem, dulcissimam Nativitatem, sacratissimum Baptismum, strictissimum Jejunium, dolorisissimem Passionem, amarissimam Mortem, gloriosissimam Resurrectionem, gaudiosissimam Ascensionem, & tre-

trementissimum Judicium. Nec non & per merita Beatissimæ V. Mariæ, Sanctissimorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum & omnium Sanctorum, ut amoveatis hunc ignem ab hoc loco, & dispergatis eum in locis incultis, ubi non possit nocere hominibus, nec animalibus, nec fructibus, nec arboribus, nec herbis, nec quibuscunq; rebus ad humanos usus deputatis. Per eundem D. N. Jesum Christum, qui venturus est condemnare & ad ignem infernalem dejicere vos malignos spiritus, & judicia-re seculum per ignem. Amen.

Aspergat aquam benedictam.

Lectio libri Numeri c. 16.

IN diebus illis egressus est ignis à Domino, & interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, & ignem huc illucq; dispergat, quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum. Murmuravit autem sequenti die omnis multitudo filiorum Israël contra Moysen & Aaron dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cumq; oriretur seditio, & tumultus increscerer, Moyses & Aaron cucurrerunt ad tabernaculum fœde-

ris:

ris: quod poſtquam ingreſſi ſunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini. Dixitq; Dominus ad Moyſen: Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra, dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de Altari mitte incenſum deſuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis: jam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſævit. Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit thymiama: & ſtans inter mortuos ac viventes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit. Fuerunt autem qui percuſſi ſunt quatuordecim millia hominum & ſeptingenti, absq; his qui perierant in ſeditione Core. Reverſusq; eſt Aaron ad Moyſen ad oſtium tabernaculi fœderis, poſtquam quievit interius. ℟. *Deo gratias.*

Oremus.

Deus infinitæ bonitatis & clementiæ, qui cum iratus fueris miſericordiæ recordatis: qui per preces famulorum tuorum Moyſis & Aaron placatus abſtuliſti plagam incendii à populo tuo: exaudi preces ſervorum tuorum, & aufer incendium hoc à fidelibus tuis, ad te dotâ cordis devotione clamantibus, ut ab imminenti damno liberati gratiarum

tibi in Ecclesia tua persolvant actiones. Per Christum Dominum &c.

℣. In tribulatione mea invocavi Dominum: & ad Deum meum clamavi.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit: carbones succensi sunt ab eo.

Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt: grando & carbones ignis.

Et intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis.

Et misit sagittas suas & dissipavit eos: fulgura multiplicavit & conturbabit eos.

Ignis in conspectu ejus exardescet: & in circuitu ejus tempestas valida.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de interitionibus eorum liberavit eos.

Usquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus.

Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt: & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Ad-

Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Deus virtutum convertere: reſpice de cœlo & vide, & diſſipa flammam iſtam.

Incenſa igni & ſuffoſſa: ab increpatione vultus tui peribunt.

Et non diſcedimus à te: vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtutum converte nos: & oſtende faciem tuam & ſalvi erimus.

Lectio Danielis Prophetæ c. 3.

IN diebus illis Nabuchodonoſor repletus furore præcepit, ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum quàm ſuccendi conſveverat. Et viris fortiſſimis de exercitu ſuo juſſit, ut ligatis pedibus Sidrach, Miſach & Abdenago mitterent eos in fornacem ignis ardentis: Fornax autem accenſa erat nimis. Porro viros illos, qui miſerant Sidrach, Miſach & Abdenago, interfecit flamma ignis: viri autem hi tres ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. Stans autem Azarias oravit ſic, aperienſq; os ſuum in medio ignis ait: Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum, & laudabile & glorioſum nomen

tuum in fecula. Quia juſtus es in omnibus quæ feciſti nobis: & in judicio induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra. Peccavimus enim, & impiè egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus. Et præcepta tua non audivimus, nec obſervavimus, nec fecimus ſicut præceperas nobis. Et nunc non poſſumus aperire os, quia confuſio & opprobrium facti ſumus Ne quæſumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum & Iſrael ſanctum tuum. Et nunc ſequimur te in toto corde, & invocamus te, & quærimus faciem tuam. Ne confundas nos Domine Deus noſter, ſed fac nobiſcum juxta manſvetudinem tuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ. Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine. Angelus autem Domini deſcendit in fornacem, & excusſit flammam ignis de fornace: & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem. Flamma autem diffuſa eſt ſuper fornacem cubitis quadraginta novem, & incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis miniſtros Regis, qui eam incendebant. Illos autem omnino non tetigit ignis, neq; contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ

ſtiæ intulit. Tunc hi tres quaſi ex uno ore laudabant & glorificabant & benedicebant Deum in fornace dicentes. Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum, & laudabilis & glorioſus & ſuperaltatus in ſæcula, Amen.

Oremus.

Deus, qui ad oſtendendam virtutem potentiæ tuæ miſiſti Angelum tuum, qui excusſit flammam ignis de fornace, & fecit mediú fornacis quaſi ventum roris flantem: imploramas immenſam bonitatis tuæ clementiam, ut ad amplificandam gloriam nominis tui eundem Angelum mittere digneris, qui excutiat flammam hanc, & extinguat incendium, quod ſævit in bona ſervorum tuorum. Per Dominum noſtrum &c.

℣. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia: vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis deſertum.

Uſquequo Domine avertis in finem: exardeſcit ſicut ignis ira tua.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis: neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis: miserere nobis.

℣. Dominus vobiscum. ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

* Sequentia S. Evangelii secundùm Marcum c. 9.

IN illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextingubilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si pes tuus scandalizat te, amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennem ignis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim igne salietur: &-omnis victima sale salietur. ℟. *Laus tibi Christe.*

Verba Sancti Evangelii extinguant flammas hujus incendi. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ.

Si incendium adhuc duret, dicantur Litaniæ ut suprà p. 273. usq;

Pecca-

PEccatores. Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas. Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas. Te rogamus.
Ut nos ab incendio hoc liberare digneris.
Ut flammas has voraces dissipare, digneris.
Ut ignem hunc sævienté extinguere digneris.
Ut afflictionem populi tui respicere digneris.
Fili Dei. Agnus Dei *ter*.

Pater noster &c.

℣. *Et ne nos inducas.* ℟ *Sed libera nos à malo.*
℣. *Salvos fac servos tuos* ℟. *Deus meus sperantes* (*in te.*
℣. *Mitte eis Domine auxilium de sancto.*
℟. *Et de Sion tuere eos.*
℣ *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: piissimam majestatem tuam in spiritu humilitatis & in animo contrito deprecamur, ut per merita omnium Sanctorum tuorum, quorum patrocinia devotè imploramus, furens incendium hoc extinguere, & flammas ignis hujus conterere digneris. Per Dominum nostrum &c.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui Moysi famulo tuo in igne flammæ Rubi apparuisti, & ipsum Rubum ab igne incombustum conservasti. Deus, qui daturus legem populo tuo descendisti supra montem Sinai in igne: totus autem mons fumabat, & ascendebat fumus ex eo quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis. Deus, qui Sacrificium

Aaron Sacerdotis tui igne de cœlo miſſo conſumpſiſti, & ignem jugiter in Altari ardere mandaſti. Deus, qui rebelles filios Iſraël in deſerto igne conſumpſiſti: è contra verò tres pueros in camino ignis ardentis illæſos conſervaſti. Per hæc & omnia mirabilia, quæ per ignem operari dignatus es, ſuppliciter exoramus, ut ignem hunc noxium ſopire, extinguere & annihilare digneris. Domine Jeſu Chriſte, qui Diſcipulos tuos dicentes: Vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos; increpaſti dicens: Filius hominis non venit animas perdere ſed ſalvare. Exaudi propitius preces noſtras, & increpa hunc ignem, ut ceſſet animas perdere, quas tu veniſti ſalvare. Spiritus Sancte Deus, qui in die pentecoſtes ſupra Diſcipulos in igne deſcendiſti, & in figura linguarum ignearum ſupra illos ſediſti: dignare hanc flammam voracem ingne tuo inviſibili conſumere, & triſte hoc incendium igne tuo cœleſti extripare. Ut plebs tua bonitatem tuam experta, erumpat in vocem laudis & exultationis, tibiq; Deo Patri & Filio & Spiritui Sancto dignas referat gratiarum actiones. Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas in ſecula ſeculorum.

Poteſt etiam dici

Oratio Danielis Prophetæ.

OBſecro Domine Deus, magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus te. Peccavimus, iniquitatem fecimus, & declinavimus à mandatis tuis ac judiciis; ideo venit ſuper nos tribulatio hæc. Sed avertatur obſecro ira tua, & furor tuus à populo tuo, & ceſſet flamma hæc devorare ſubſtantiam ejus. Exaudi Deus noſter orationem ſer-

vorum tuornm, & oſtende faciem tuam ſuper locum hunc, qui vaſtatur ab incendio. Inclina Domine aurem tuam & audi; aperi oculos tuos & vide tribulationem noſtram. Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine: placare Domine: attende & fac. Ne moreris propter temetipſum Deus noſter: quia nomen tuum invocatum eſt ſuper locum hunc, & ſuper populum tuum afflictum nimis.

Legatur etiam Evangelium S. Joannis, & projiciatur panis & ſchedulæ in Feſto S. Agathæ benedictæ in ignem.

Initia quatuor Evangeliorum.

Quæ cantari ſolent in Proceſſionibus.

✠ Initium S. Evangelii ſecundùm Matthæum.

Liber generationis Jeſu Chriſti Filii David, filii Abraham Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam & fratres ejus, Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar, Phares autem genuit Eſron, Eſron autem genuit Aram, Aram autem genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Naſſon, Naſſon autem genuit Salmon, Salmon autē genuit Boos de Rahab, Boos autem genuit Obed ex Ruth, Obed autem genuit Jeſſe, Jeſſe autem genuit David Regem, David autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ, Salamō autem genuit Roboam, Roboā autem genuit Abiā, Abias autem genuit Aſa, Aſa autem genuit Joſaphat, Joſaphat autem genuit Joram, Jorā autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Joatham, Joathā autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam, Ezechias autem genuit Manaſſem, Manaſſes autem genuit Amon, Amon autem genuit Joſiam, Joſias autem genuit Jechoniā & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis. Et poſt transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Zorobabel autem genuit Abiud, Abiud autem genuit Eliacim, Eliacim autem genuit Azor,

Azor

Azor autem genuit Sadoch, Sadoch autem genuit Achim, Achim autem genuit Eliud, Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan, Mathan autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Joseph, virũ Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

℣. *In omnem terram exivit sonus eorum.*

℟. *Et in fines orbis terræ verba eorum.*

℣. *Dominus dabit benignitatem.*

℟. *Et terra nostra dabit fructum suum.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Beati Matthæi Apostoli tui & Evangelistæ quæsumus Domine precibus adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Per Christum &c. Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te suppliciter deprecamur, ut misericordiâ tuâ annuente concedas nobis messium copiam, fructuum largitatem, vinearum substantiam, arborum fœtus & proventus omnium rerum. Atq; ab his omnibus pestiferum sidus tempestatum, universasque procellas, frigora & grandines amovere digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

BENEDICTIO.

In quibusdam Diœcesibus Sacerdos finitâ Collectâ, & genibus flexis incensato Sacramento, illud in manibus tenens vertit se ad populum, & Chorus genuflexus in tono Litaniarum cantat:

Peccatores. Te rogamus audi nos.

Sacerdos cantat sequentes 4. versus, vertendo se ad 4. latera mundi, & ad singulos dando Benedictionem.

Ut Ecclesiam tuam sanctam † regere & conservare digneris. *Chorus* ℟. Te rogamus.

Ut

Ut cuncto populo Christiano † pacem & unitatem largiri digneris. Te rogamus.

Ut nosmetipsos in tuo sancto † servitio confortare & conservare digneris. Te rogamus.

Ut fructus terræ † dare & conservare digneris.

✠ Initium S. Evangelii secundùm Marcum.

INitium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in deserto, baptizans & prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi: & baptizabantur ab eo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & zonâ pelliceâ circa lumbos ejus, & locustas & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens: Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aquâ. ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto

℣. *Constitues eòs principes super omnem terram.*

℟. *Memores erunt nominis tu Domine.*

℣. *Dominus dabit benignitatem.*

℟. *Et terra nostra dabit fructum suum.*

℣. *Domine exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui B. Marcum Evangelistam tuum Evangelicæ prædicationis gratiâ sublimasti: tribue quæsumus, ejus nos semper & eruditione proficere, & oratione defendi. Per Christum Dominum nostrum.

Oremus.

Domine Sancte, &c. *ut pag. antecedenti.*

✠ Ini-

* Initium S. Evangelii secundùm Lucam.

Fuit in diebus Herodis Regis Judaeae, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cùm sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris Altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem. Et erit gaudium tibi & exultatio: & multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet: & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae. Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse praecedet ante illum in spiritu & virtute Eliae, ut convertat corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam justorum.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

℣. Dominus dabit benignitatem.

℟. Et terra nostra dabit fructum suum.

℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Interveniat pro nobis, quæsumus Domine, sanctus tuus Lucas Evangelista, qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro tui nominis honore portavit. Per Christum &c.

Ore-

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui das eſcam omni carni, qui operis cœlum nubibus, & paras terræ pluviam. Qui transfers Auſtrum de cœlo, & inducis in virtute tua Africum. Qui rigas montes de ſuperioribus tuis, & de fructu operum tuorum ſatiabitur terra. Qui Angelo præcipiſti, ut terræ, mari & arboribus non noceret: parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus. Te etenim Domine ſupplices exoramus, ut procul abſcedat incurſio turbinum, calamitas tempeſtatum, fragor grandinum, percuſſio fulminum, & quælibet inſidiæ inimici. Temperentur infeſta tonitrua noxiæq; pluviæ, & ventorum flamina fiant moderatè ſuſpenſa; omnis quoq; ſpiritus procellarum & aëreæ poteſtates dexterâ tuæ virtutis proſternantur. Deſcendat, quæſumus Domine, deſuper Spiritus Sanctus, ut fugatis omnibus contrariæ poteſtatis virtutibus fruges manus ſervet Angelica, & poſt ſopitos nubium impetus in laudum & devotionum ſpiritualium augmentum tranſeat comminatio tempeſtatis. Per Dominum noſtrum &c.

✠ Initium S. Evangelii ſecundùm Joannem.

In principio erat Verbum &c. ut ſuprà p. 119.

℣. *Annuntiaverunt opera Dei.*
℟. *Et facta ejus intellexerunt.*
℣. *Dominus dabit benignitatem.*
℟. *Et terra noſtra dabit fructum ſuum.*
℣. *Domine exaudi orationem* ℟. *Et clamor meus.*

℣. *Do-*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Ecclesiam tuam quæsumus Domine benignus illustre, ut B. Joannis Apostoli tui & Evangelistæ illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna. Per Chirstum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Omnipotens & piissime Deus, respice quæsumus nostram quotidianam indigentiam, & fructus terræ victui nostro sufficientes elargire. Magnifica super nos nomen sanctum tuum, & super habitationes & possessiones nostras copiosissimam tuam benedictionem effunde, ut cuncti labores famulorum tuorum plenè fructificent, & ad usus nostras necessarios proveniant. Averte piissime Deus à finibus nostris noxia sidera, immoderata frigora, nociva fulgura, cunctasque aëreas tempestates, & quidquid mali subsidiis nostris poterit nocere. Per Dominum nostrum &c.

Pro Conclusione nota, in Benedictionibus quandoque nominari S. Ubaldum Episcopum Eugubinum, & S. Antonium Paduanum, ex eo, quòd uterq; Sanctus sit specialis Patronus pro dæmonum infestationibus, occupationibus, maleficiis, aliisq; operationibus & nocumentis pellendis; poterit tamen cujuscunq; Sancti, vel propriæ Ecclesiæ Patròni nomen addi.

FINIS.

A. M. D. G. B. M. V. J. C. H.

INDEX

INDEX GENERALIS
Sacramentorum, Benedictionum, Exorcismorum & quarumvis Ecclesiæ Ceremoniarum.

Litera R. notat RITVALE: I. verò INFIRMORVM: B, autem BENEDICTION. Libellos.

ABsolutio generalis danda Religiosis in mortis articulo. I. 85. excommunicati jam mortui. B. 17. à Suspensione. B. 18. pro visitatione generali. B. 20. pro Religiosis Agonizantibus. B. 23. pro Religiosis Capitulantibus. B. 21. absolutionis forma pro hæresi. B. I. eadem pro hæretico Germanico B. 5. eadem Polonicè. B. 11
Aceti benedictio. B. 173
Agni Paschalis bened. R. 82
Agrorum bened. B. 347
Albæ bened. B. 26
Amictus bened. B. 25
Animalium bened. B. 338
Aqua. Aquarum & fluminum bened. R. 92. Aquæ benedictæ efficiendi ratio. R. 59. ejusdem benedict. post aspersionem in diebus Dominicis Oratio. R. 114. ejusdem in Vigilia Epiphaniæ Domini. B. 37. super aqam sale conspersam Exorcismus. B. 57. super aquam bened. B. 57. aquæ solemnis bened. B. 215. aquæ Exorcismus. B. 218
Arborum & fructuum earum bened. B. 90.
Armorum bened. contra Ecclesiæ hostes. B. 179
eorundem bened. B. 323

Auri, Thuris & Myrrhæ bened. in Festo Epiphaniæ R. 79
Avenæ bened. in Festo S. Stephani. R. 77
Avium bened. B. 85
BAculi Peregrini bened. B. 131
Balnei pro Maleficiatis bened. B. 110
Baptismus. Baptismi parvulorum ordo. R. 5. Baptismo servientis Salis bened. R. 3. Baptismalis fontis extra Sabbath. Paschat. bened. R. 63. Baptismalis aquæ bened. quando in necessitate ex fonte haberi non potest. R. 4. Ratio supplendi omissa super Baptismum. R. 17. Baptizatos inscribendi forma. R. 114
Benedictio communis. R. 101. eadem post partum. R. 37. Benedictionũ Regulæ Generales. R. 58
Bombicum seminis bened. B. 165
Brodei &c. pro vexatis à spiritibus immundis bened. B. 175
Butyri exorcismus. B. 344
CÆnæ bened. B. 177
Candelarum bened. extra Festum Purificationis. R. 81. Candelæ bened. I. 78. Candelarum bened. in Festo S. Blasii. B 69. earundem contra morbum gutturis bened. B. 258
Capsarum pro reliquiis & aliis sanctuariis includendis bened. B. 141
Carnium quarumvis bened. B. 161
Catenulæ bened. in honorem B. M. V. deportandæ. B. 253
Cerevisiæ & communis ad alios bened. B. 95
Characterum Crucis contra Pestem bened. B. 186
Chartæ pro Agno Mariano bened. B. 116. ejusdem pro scribendis rebus sacris bened. B. 256
Chordæ

Chordæ bened. B. 310. ejusdem Fraternitatis S. Franciſcani bened. B. 254
Chriſti Statuarum & aliorum Sanctorum benedictio. B. 245
Cibi aut potus communis bened. R. 86
Cilicii bened. B. 178
Cinguli bened. B. 26
Columbarum, Pullariorum & ejusmodi locorum bened. B. 168
Comeſtibilium herbarum bened. primo die Maji vel alio tempore. B. 267
Communionis Sacræ extra Miſſam adminiſtratio. R. 40. Communio Infirmorum. R. 43
Conductus major. R. 109. Conductus minor. R. 108. idem Parvulorum. R. 112
Corporalium & Pallarum. B. 31
Cretæ bened. B. 69
Crucis bened. 230. Crucis parvæ bened. B. 233. de exhibitione Crucis. I. 77.
DAlmaticæ bened. B. 29
Denunciationis faciendi bened. R. 33
Diaboli exorciſmus. B. 249
Domus bened. R. 89. Domus novæ bened. R. 87. Domus bened. in Nativitate Domini. B. 33. item in Vigilia Circumciſionis Domini. B. 34. it. in Vigilia Epiphaniæ Domini. B. 36. Domus à dæmone vexatæ bened. B. 72. Domorum in Sabbatho Paſchatis bened. B. 160
ENſis militaris bened. B. 321
Evangeliorum S. Joannis bened. B. 253
Exorciſmus. B. 49
Expiratio Infirmi. I. 90
Exuendi puerorum modus expleto voto. B. 315

FArinæ bened. B. 166
Febrium bened. B. 225. 292
Fructuum novorum bened. R. 86. Fructuum quorumcunque bened. B. 90
Frugum & Vinearum bened. R. 93

GLoborum bened. B. 323

HAbitus bened. B. 309
Herbarum bened. in Festo Assumptionis B. M. V. R. 70
Horrei bened. B. 330

IGnis bened. B. 95. contra ignem bened. domus. B. 327. ejusque exorcismus. B. 367
Imaginis seu Statuæ B. Mariæ Virg. bened. B. 243
Imaginum Christi aut aliorum Sanct. bened. B. 245
Incensi, ut storacis & aliorum odoriferorum bened. B. 108. Incensi cujuscunq; bened. R. 80
Indumenti Sacerdotis cujuslibet bened. B. 246
Infantis bened. B. 113
Infirmus. Infirmorum visitatio. R. 54. Infirmorum animalium bened. R. 100. Infirmi exhortatio. Infirmorum Psalmi septem. l. 52. Infirmorum instructio. l. 76. Infirmi expiratio. l. 80. super infirmum agonizantē orationes tres. l. 88. seqq. super infirmum bened. B. 270
Initia quatuor Evangeliornm. B. 379
Iter ingredientium bened. R. 100

LActiciniorum bened. R. 84. contra maleficia Lactis. B. 341. Lactis exorcismus. B. 343
Leguminis bened. B. 166
Liliorum bened. in Festo S. Antonii de Padua. B. 86
Linteaminum sacrorum &c. reconciliatio. R. 67. Linteaminis, quo tegendum & servandum est corpus Dominicum, B. 31
Lita.

Litaniæ pro infirmis. l. 27. seqq. Litaniæ. B. 43. eadem de omnibus Sanctis. B. 273
Loci bened. R. 90
MAleficiorum depulsio. R. 103. Maleficiati bened. B. 105. Maleficiatos exorcizandi modus. B. 273
Manipuli bened. B. 27
Manuum impositio Sacerdotis. B. 287
Mariæ Virg. imaginis bened. B. 243
Matrimonii Sacramentum. R. 23. ejus celebrandi ratio. R. 24. Matrimonio iunctos inscribendi forma. R. 32. pro impeditis in Matrimonio. B. 301
Medaliorum bened. B. 250
Medicinæ bened. B. 299. Medicinæ cujuscunque bened. B. 141
Militum ad bellum euntium bened. B. 319
Monasterii novi bened. B. 145
NAvis bened. R. 91
Nominis Jesu bened. B. 324
Numismatum bened. B. 248
Nuptialis bened. absque Missa pro Sponso & Sponsa. R. 30
post Nuptias mulieris introductio. R. 34
super Obsessum à dæmone bened. B. 189. Obsessionis cognoscendæ modus. B. 291
Olei simplicis bened. R. 84. Olei bened. B. 235. Olei exorcismus. B. 238
Operis boni sub initium bened. B. 165
Oratio ante Viaticum. l. 3. de Viatico. l. 5. post Communionem. l. 8. infirmi. l. 13. ad nomen Jesu. l. 15. Orationes pro felici morte. l. 19. seqq. ad omnes Sanctos. l. 25

Orizarum bened. B. 92
Ornamentorum Ecclesiæ bened. B. 247
Ovorum bened. R. 82

PAnis & aquæ bened. in Festo S. Agathæ. R. 74.
Panis & vini bened. in Festo S. Blasii. B. 71. Panis novi bened. B. 91. panis S. Nicolai de Tolentino bened. B. 133. Panis bened. B. 166. Panis & schedularũ in Festo Agathæ bened. B. 259. Panis contra pericula ignium bened. B. 259. Panis seu Mandatorum Feriá V. in Cæna Domini bened. B. 264. Panis exorcismus. B. 266. Panis pro infirmis bened. R. 83
Peregrinorum bened. ad loca sancta euntium. B. 128. seqq. eorum post reditum bened. B. 131
Pestis tempore animalium bened. B. 172
Pestis remedium. B. 182
Petitio ad Jesum. I. 18
Piscinæ & Piscium bened. B. 97. pro piscatione copiosa bened. B. 98
Planetæ seu Casulæ bened. B. 28
Pluvialis bened. B. 29
Pœnitentiæ Sacramenti administratio. R. 20
Prandii bened. B. 177
Processio in Ascensione Domini. R. 68. eadem in Pentecosten. R. 69.
Puerorum & Puellarum bened. B. 114
Purificatorii bened. B. 247
Putei novi bened. B. 103

REtis bened. R. 97
Ritus nonnulli Franciscanorum & Ecclesiasticorum. B. 260
Rosariorum aut Coronarum bened. R. 95. Rosarum Sanctissimi Rosarii bened. B. 162
Ruthæ aliarumque herbarum bened. R. 95


SAL.

SAL. Salis, quod datur animalibus, bened. B. 104. ſuper ſalem oratio. B. 53. ſeqq. Salis exorciſmus. B. 55. Salis & aquæ contra vermes & aves nocivas bened. B. 170. Salis exorciſmus. B. 219. Salis benedictio. B. 221. ſuper ſalem & aquam exorciſmus. B. 221
Seminum bened. R. 94. Seminatæ terræ benedictio quocunque ſemine. B. 89. Seminum & ſegetũ in Feſto Nativitatis B. M. bened. B. 163
Schedularum bened. B. 261. Schedarum vulgo flagella Dæmonis bened. B. 126.
Stabuli bened. B. 333. ejusdem exorciſmus. B. 336
Stolæ bened. B. 27
Strictæ ſeu Tunicellæ bened. B. 28
Suſpiria ad Jeſum. l. 17. ad Mariam. l. 23. infirmi. l. 75
TAbernaculi ſeu Vaſculi pro Sacroſancta Eucharistia conſervanda. B. 32
Tempeſtatum exorciſmus. B. 363. earundem repulſivæ preces. R. 102
Teſtamentum animæ. l. 9. Teſtam. obſignatio. l. 12
Thalami bened. R. 91. ejusdem ſeu Lecti ben. B. 326
Thori bened. B. 112
Thuribuli bened. B. 30
Thurificationis modus in primis veſperis Feſti. R. 107
Thuris bened. B. 289
Tritici bened. B. 166
VAſorum bened. R. 97
Vaſtantium fructus, terram &c. vermium & avium &c. ſublativa bened. R. 98
Veli Calicis bened. B. 247
Veſtium Peregrini bened. B. 131. Veſtimentorum bened. B. 317

Vexilli bened. R. 113
Viaticum admiſtrandi modus. I. 2
Vini bened. B. 173. Vineæ bened. B. 166. Vini in ſolemnitatibus Nuptiarum bened. B. 269. Vini pro infirmis bened. B. 296. Vini alteriusque potus bened. in Feſt S. Joannis Evang. R. 78. Vinariæ Cellæ bened. B. 328. Vinearũ bened. B. 358. ſuper Vinum Oratio. B. 330
Vnctionis extremæ Sacramenti adminiſtratio. R. 47






Biblioteka Jagiellońska
stdr0017008

